QUAESTIONES VERGILIANAE

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM SCRIPSIT
ATQUE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE X. MENSIS MARTII ANNI MDCCCLXXXIII
HORA XII
PUBLICE DEFENDET

CAROLUS SCHUELER
POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

HERMANN SCHULZ, DRD. PHIL.
ALBERT TRABANDT, CAND. PHIL.
GEORG KLINKE, STUD. PHIL.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE.

ADOLFO KIESSLING

UDALRICO DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF

PIETATIS ERGO.

Caput I.

De compositione Aeneidis animadversiones.

1.

Disseruit Conrads (Quaest. Virg. Treveris 1863) sagaci atque acri iudicio de Aeneidis sex primorum librorum ratione, temporibus, discrepantiis. Nisus eo, quod veteres tradunt, Aeneidem a Vergilio adeo non perfectam iudicatam esse, ut cremare eam et ipse animum induceret et moriens amicos iuberet, ostendit, multum sane laboris perficiendo operi impertiendum, multa atque gravia poetae fuisse mutanda, ut sex primi libri inter se concinerent. Atque unum quod posuit fere omnibus probavit, quintum librum poetam post sextum composuisse, non vero mihi persuasit librum tertium primo operis tempore una cum quarto scriptum in antiquissimos Aeneidis libros referendum esse.

Iam ita progrediamur, ut primum causas, quas affert Conradinus, perlustremus, deinde si forte nihil eis probari apparuerit ipsi denuo de tempore tertii libri quaestionem instituamus. Conradini autem argumentum hoc:

> Versui Aen. V, 626: '*septima post Troiae excidium iam vertitur aestas*' repugnat narratio errorum, quae libro tertio continetur. Prima enim hieme in aedificandis navibus consumpta initio aestatis (III, 8) Aeneas e patria cedit atque in Thraciam transvehitur, urbem condit quam Aeneadas vocat, sed mox manibus

Polydori iussus abire naves solvit et Deli paucos dies commoratus ad Cretam appellit, ubi Pergami urbis moenia fundat; vix autem '*connubiis arvisque novis operata iuventus*' (137), cum lue exorta penatium monitu terram relinquit. Autumno eiusdem anni per mare Adriaticum vectus in Actio promonturio hiemat (184), vere ineunte Epiri oram legens ad Helenum pervenit, cuius imperio Italiae latus quod in occidentem spectat petit; circa Siciliam navigat, Acestem adit ibique patrem sepelit et cum rursus navem conscendat, e cursu eicitur atque ad Africam delatus apud Didonem alteram hiemem (IV, 193) moratur. Deinde proxima aestate in Siciliam redit atque ad patris tumulum ludos funebres instituit, autumno in Latium pervenit. „Quae cum ita se habeant, (pag. XV) Vergilium cum in libro III conficiendo elaboraret, Aeneae errores nondum in septem distraxisse annos sed vulgarem quam Dionysius (antt. I, 63) habet famam apparet esse secutum, ex qua duarum tantum hiemum spatio interiecto ideoque tertio anno, postquam ex Asia discesserat in Latium pervenit; si quid vero scrupuli remanet, id omne eximit Achaemenides, qui ab Ulixe, cum primo is errorum suorum anno Cyclopem excaecavisset, in Sicilia relictus post tres menses ab Aenea exceptus est, quando III, 645 '*tertia iam lunae se cornua lumine complent.*'" Opere vero procedente Vergilius septem annos Aeneam errare voluit, ut sollemnes decem annos compleret; nam legimus I, 265:

moresque viris et moenia ponet,
tertia dum Latio regnantem viderit aestas
ternaque transierint Rutulis hiberna subactis.

Videamus locum Dionysii, quem totum exscribam necesse est: περὶ δὲ τῶν χρόνων, ἐν οἷς ἐκτίσθη τὸ Λαουΐνιον, ἄλλοι μὲν ἄλλως λέγουσιν. ἐμοὶ μέντοι δοκοῦσιν οἱ δευτέρῳ μετὰ τὴν ἔξοδον τὴν ἐκ Τροίας ἔτει φέροντες αὐτὴν εἰκότα μᾶλλον λέγειν.

Ἴλιος μὲν γὰρ ἥλω τελευτῶντος ἤδη τοῦ θέρους, ἑπτακαίδεκα πρότερον ἡμέραις τῆς θερινῆς τροπῆς, ὀγδόῃ φθίνοντος μηνὸς Θαργηλιῶνος, ὡς Ἀθηναῖοι τοὺς χρόνους ἄγουσι, περιτταὶ δέ ἦσαν αἱ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον, ἐκπληροῦσαι μετὰ τὴν τροπὴν εἴκοσιν ἡμέραι. ἐν δὴ ταῖς ἑπτὰ καὶ τριάκοντα ταῖς ἀπὸ τῆς ἁλώσεως διαγενομέναις τά τε περὶ τὴν πόλιν οἴομαι διοικήσασθαι τοὺς Ἀχαιοὺς καὶ τὰς πρεσβείας ἐπιδέξασθαι τὰς παρὰ τῶν ἀφεστηκότων καὶ τὰ ὅρκια ποιήσασθαι πρὸς αὐτούς· τῷ δ' ἑξῆς ἔτει, πρώτῳ δὲ μετὰ τὴν ἅλωσιν ὑπὸ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν ἄραντες οἱ Τρῶες ἐκ τῆς γῆς περαιοῦνται τὸν Ἑλλήσποντον καὶ καταχθέντες εἰς τὴν Θρᾴκην αὐτοῦ διατρίβουσι τὴν χειμερινὴν ὥραν, δεχόμενοί τε τοὺς ἐπισυνιόντας ἐκ τῆς φυγῆς καὶ παρασκευαζόμενοι τὰ εἰς τὸν ἀπόπλουν. ἐκ δὲ τῆς Θρᾴκης ἀναστάντες ἔαρος ἀρχομένου τελοῦσι τὸν μεταξὺ πλοῦν ἄχρι Σικελίας· ἐκεῖ δὲ ὁρμισομένοις αὐτοῖς τὸ ἔτος τοῦτο τελευτᾷ, καὶ διατρίβουσι τὸν δεύτερον χειμῶνα τὰς πόλεις συνοικίζοντες τοῖς Ἐλύμοις ἐν Σικελίᾳ. πλωΐμων δὲ γενομένων ἄραντες ἀπὸ τῆς νήσου περῶσι τὸ Τυρρηνικὸν πέλαγος καὶ τελευτῶντες εἰς Λωρεντὸν ἀφικνοῦνται τὸν Ἀβοριγίνων μεσούσης θερείας.

Iam tria habeo, quae Conradino obvertam. Primum fama, quam apud Dionysium invenimus, non est vulgaris, quia de annis errorum Aeneae vulgaris fama non exstabat, sed qui in has res inquisiverunt antiquitatis studiosi, alius aliam sententiam sibi finxerunt ac professi sunt. Cato[1]), qui inter Troiae excidium et Romam conditam spatium quadringentorum triginta duorum annorum statuit, erroribus Troianorum duos annos tribuisse videtur nam a Lavinio usque ad Albam conditam triginta et inde usque ad Romulum quadringenti sunt anni — consentit cum eo Hemina[2]), apud Diodorum[3]) quadringentos triginta tres invenimus, apud Varronem, si

1) cf. Dionys. I, 74.

2) cf. Solin. II, 14: nec omissum sit Aeneam aestate ab Ilio capto secunda Italicis litoribus adpulsum, ut Hemina tradit.

3) apud Syncell. p. 366, 8.

Ioanni Lydo fides[1]) est, quadringentos triginta novem et Q. Cosconius grammaticus[2]) quarto anno post Troiam captam Lavinium conditum esse sibi sumpsit. Atque dissensisse hac in re eo tempore viros doctos ex ipso Dionysio satis audimus (cf. s.), neque miramur quod addit, sibi quidem utpote historico videri eos verisimilius iudicasse, qui duos annos Troianos erravisse contendissent; contra summopere mirarer, si etiam epicus poeta tale iudicium secutus esset critici, qui famae quod mirum inest detrahere eamque πρὸς τὸ εἰκὸς redigere studet.

Non autem secutus est; nam etiamsi errores sicut Conradinus enarravit disponamus, tamen narratio Vergilii cum ratiocinatione Dionysii non coit. Secundum hunc enim Aeneas altero anno postquam Troia excesserat id est postquam urbs expugnata erat in Latium pervenit; nam legimus sub finem capitis: λαβόντες δὲ τὸ χωρίον οἰκίζουσιν ἐν αὐτῷ Λαουΐνιον τὸν δεύτερον ἀπὸ τῆς ἁλώσεως ἐκπληρώσαντες ἐνιαυτόν. Apud Vergilium autem Troiani post Troiae excidium exules ter hiemant: sub Ida, ad Actium, Carthagine; atque tres has hiemes etiam C. concessit.

Ad extremum vero errores Aeneae tam arcte circumscribere non licet, quam C. fecit; videntur enim ex poetae consilio Troiani etiam in Thracia hiemem transegisse; nam ex versibus III, 19. 20

sacra Dionaeae matri divisque ferebam
auspicibus c o e p t o r u m operum

mea quidem sententia non cum Conradino necesse est concludere, eos postquam vix in agro consederint atque moenia exstruere coeperint, statim Polydori manibus territos e terra abisse; possunt domus et moenia aedificata etiam hieme insequenti coepta dici opera; repugnat autem sententiae Conradini primum ipse rei status; nam cum urbs illa re vera

---

1) de Mag. I, 2.
2) Solin. II, 13.

exstet, etiam poeta certe non nobis dicere vult, Aeneam fundamenta tantum moenium eius iecisse sed uti par est urbem condidisse et exstruxisse; repugnare deinde arbitror etiam ipsius Vergilii[1]) verba III, 69:

inde ubi prima fides pelago placataque venti
dant maria et lenis crepitans vocat auster in altum
deducunt socii navis.

rectum demum sensum mihi hi versus accipere videntur, si veris initium poetam significare statuimus: ventis post hiemis tempestates sedatis simulac mare primam fidem nobis praebuit secundae navigationis et auster, etesius ventus, qui hoc tempore flare solet, ortus est, naves solvimus. Simillimus

---

1) Fortasse in fonte quoque eius haec hiems in Thracia transacta inveniebatur; Dionysius quidem quem praeter alios etiam Vergilii fontes adhibuisse plus uno loco docemur, bis (I, 48. 63) narrat, Troianos totam hiemem in Thracia moratos esse. Quantopere vero in erroribus Aeneae narrandis Vergilius vestigia auctoris sui presserit, quam pauca ipse addiderit — neque erat is, qui summi ingenii instar magna ac nova inveniret sed satis habuit tradita eaque eximia diligentia colligere et operi suo accommodare — videmus ex comparatione Dionysii (I, 49—53) Hanc comparationem etiam ad interpretandum Vergilii textum aliquid valere unum doceat exemplum; de versu III, 470 '*addit equos additque duces*' magna est contentio commentatorum, quid sit 'duces'. Tamen ex Dionysii verbis (cap. 51): διαίρουσι τὸν Ἰόνιον, ἡγεμόνας ἔχοντες τῆς ναυτιλίας Ἀκαρνᾶνας, satis elucet, Vergilium hoc loco fontem et suum et Dionysii secutum esse, in quo duces illi exstabant; fortasse ad explicandum vocabulum hemistichio postea enunciatum relativum addidisset. Eodem modo Forbigerum locum explicasse video; nihil contra protulit Kviçala: Neue Beiträge zur Erklärung der Aeneis. Prag 1881. pag. 62.

Nihil autem interest, quod Dionysius (cap. 49 εἰς Θρᾴκην ἀφικόμενοι κατὰ τὴν χερσόνησον, ἣ καλεῖται Παλλήνη ὡρμίσαντο cap. 50 ἐκ δὲ τῆς Παλλήνης ἄραντες . . .) Aeneam Chalcidices urbem, Vergilius Aenum in Thracia chersoneso sitam nominat; utraque fabula divulgata erat; apud Q. Lutatium legebatur: 'Aeneam primum Thraciam appulsum, Aenum ex suo nomine condidisse dein cognita Polymnestoris perfidia ex Polydori nece inde digressum'. Atque hanc fabulam par est poetae magis arrisisse, quia Polydori mortem describendi occasionem praeberet.

est locus III, 356, quo idem tempus describitur — hiems paulo ante finita est —

iamque dies alterque dies processit et aurae
vela vocant, tumidoque inflatur carbasus austro.

Prorsus autem fieri nequit, id quod Conradinus posuit, ut Troiani uno anno duas urbes Aeneadas et Pergamum condiderint; nam licet Conradino Troianorum miram quandam ac paene furiosam in urbibus condendis celeritatem concedamus atque nobis fingamus, Aeneam Idibus fere Martiis Troia profectum et tempus quamvis exiguum in Thracia moratum, duos fortasse menses, quos certe in muris aedificandis consumere debebat, initio Iunii ad Cretam appulisse, quomodo tum Sirius, qui ultimis Aprilis diebus oritur, delere poterat fruges Troianorum, quibus serendis operam dederat '*arvis novis operata iuventus*'? An quis serit mense Iunio vel etiam posteriore anni tempore; nam certe domos prius sibi pararent necesse erat, quam agrum colerent. Mihi quidem secundum Vergilii narrationem res ita se habere videtur; eadem aestate, qua Troiani in Cretam adveniunt, muros urbis aedificant, arcem exstruunt; ineunte autem vere agris se dant et conubia quaerunt; atque nunc cum agros colentes re vera in terra consederint atque conubiis gentes sint factae, civitas constituta est iuraque dat Aeneas; tum vero '*satis lues venit et victum seges negat*' Sirio ardente. Tamen cum certum tempus poeta nusquam indicet de hac re certare nolo ne argutiarum incusor; neque opus est, id enim effecisse me puto falsum fuisse Conradinum, cum errores Aeneae secundum Dionysium duobus annis circumscriberet. Sequitur sane Vergilius famam, quae etiam ad Dionysium ex eodem fonte fluxit, non vero ratiocinationem capitis 63, sed eam quam praebet ille capitibus 48—58, temporum praeter unam Thraciam hiemem indicatam nullam habens rationem. Atque hoc a ratione carminis epici non tam alienum videtur. Licetne re vera a poeta postulare, ut septem deinceps errorum annos nobis enumeret, suos cuique casus, quos subiit Aeneas, attribuens? Potius

si ex ipsa Aeneide scimus, Troianos tres hiemes in erroribus transegisse et insuper duas urbes condidisse, in quibus diutius morari eos oportebat, nonne poeta a nobis postulat, ut ipsi septem eas quas in libro V. commemorat aestates animo suppleamus? [1]) Atque ne refert quidem ipse poeta Troianorum errores, sed Aeneas Didoni narrat; hoc autem a Conradino prorsus neglectum magni mihi videtur esse momenti; relegenti enim quae terra marique passus est singula ultro coartantur et astringuntur; modo ea memorat quae memoratu digna altius menti inhaerent; quare exempli causa ex eo quod post adventum in Thraciam narratum (III, 18) proximis statim versibus inde a v. 19 ad exitum ex eadem terra decurrit Aeneas, non concludere debemus, haec duo facta etiam nullo temporis spatio discreta fuisse; intercessit sane temporis spatium, nihil autem habuit, quod de eo narraret. Similiter etiam de ceteris iudicandum erit atque mea quidem sententia ex narratione Aeneae, quippe quae sit narratio, annos errorum omnino enucleare non possumus nec debemus. Argumentum autem, quod ab Achaemenide a Troianis recepto C. repetit ne secundum ipsius quidem errorum distributionem quidquam probat; hac enim in fabula sicut in aliis temporum rationes Odysseae et Aeneidis nunquam convenient. Nam vel ex Conradini sententia Aeneas altero demum vere post Troiae excidium ad Cyclopas venire potest, initio fere Mai mensis, ergo Ulixem altera hieme errorum suorum, mense Februario, ibi fuisse colligendum esset. Tum autem initio decimi anni, ὅτε δὴ ἔτος ἦλθε περιπλομένων ἐνιαυτῶν, τῷ οἱ ἐπεκλώσαντο θεοὶ οἶκόνδε νέεσθαι a Calypsus insula avehi nequit, nam fuit apud eam septem, apud Circen unum annum, insuper Aeolum, Laestrygones, Tartarum adiit. Neque omnino tam sero ad Polyphemum venit, quia a Ciconibus et Laestrygonibus, apud quos certe non diu mansit, statim ad Cyclopum insulam delatus est.

---

1) Accedit, quod prorsus nescimus, quantum temporis Aeneas ex Vergilii sententia in Sicilia (cf. finem libri tertii) commoratus sit.

Igitur duo anni errorum, quos C. posuit, stare nequeunt, neque cogimur ut vult ille statuere, Vergilium aliam temporum rationem adhibuisse in tertio, aliam in quinto libro ideoque colligere tertium librum primis operis annis compositum esse. Reliquae causae a C.'o allatae, quibus ipse non multum tribuit (p. 22) nihil probant; dicit: „'olli' et 'ollis' formas, quibus in Bucolicis et Georgicis nusquam usus est, ne in secundo quidem vel tertio quartove Aeneidis libro usquam usurpavit, cum in I semel, in VI bis, in V quinquies, in posterioribus libris saepius admiserit; procedente enim carmine ultra dimidium, nisi opinio me fallit, ut poeticum ingenium deferbuit ita et rhetoricarum artium et priscarum formarum studium incaluit." Potest hoc recte judicatum esse, sed toto tertio libro haec prisca forma uno loco poni potest v. 214 '*tristius haut illis monstrum*', sed dubito, num omnino in oratione directa inveniatur; deinde errat C., quod in quarto libro hanc formam inveniri negat; exstat IV, 105, neque dissentiunt codices. Ad extremum quod monet, in tertio libro Aeneam semel res deliberandas 'ad proceres referre' (v. 58 cf. 103) cum alibi prorsus rogis vice fungatur, recte Ribbeckius mihi videtur contendisse, „consentaneum esse errorum initio et vivo etiam patre sua ipsum auctoritate minus confidere, mortuo illo inter ignotos et hostes maxime in bello summam eidem potestatem a sociis delatam esse."

Ergo ex C.'i dissertatione de tempore, quo tertius liber compositus sit, non videmur certiores fieri. Lucraturos autem nos aliquid arbitror ad hanc quaestionem solvendam, si in eos locos inquiramus, quibus hic liber ab aliis abhorreat. At non ita progrediendum esse censeo ut si locum ab alio discrepantem invenerimus, dicamus: hic locus quia neglegit quod alibi narratur, prior scriptus est, neque, id quod falsissimum, nisi de re levidensi agitur, hoc loco oblitus est poeta, quae antea scripserat, sed ut ex amborum locorum indole atque natura quaeramus, utrum Vergilius ad extremum operi immanere

voluerit, uter totius carminis uti exstat rationi fuerit accommodatior; consentaneum hunc etiam posteriorem scriptum esse.

Ac primum pugnant inter se ei loci, quibus de fine itineris Troianorum agitur; sunt autem, si errores ab initio id est ab altero Aeneidis libro relegimus, hi:

dicit Creusa, cum post mortem marito compareat:

II, 780 *longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum*
et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
inter opima virum leni fluit agmine Thybris.

sed statim legimus:

III, 8 *... classem ... molimus*
incerti quo fata ferant, ubi sistere detur.

Deli deinde Apollinis oraculo docentur:

III, 94 *quae vos a stirpe parentum*
prima tulit tellus eadem vos ubere laeto
accipiet reduces; antiquam exquirite matrem!

Navigant non in terram Hesperiam sed Cretam, ubi Thybris non fluit; ibi autem penates iubent:

III, 163 *est locus — Hesperiam Grai cognomine dicunt —*
terra antiqua potens armis atque ubere glaebae
Oenotri coluere viri, nunc fama minores
Italiam dixisse ducis de nomine gentem [1])
hae nobis propriae sedes.
haec dicta parenti
haud dubitanda refer, Corythum terrasque requirat
Ausonias.

Dicit etiam Celaeno III, 253:

Italiam cursu petitis

---

1) hos versus in tertio libro primarios esse atque ex hoc demum loco in primum librum (v. 530 - 33) fluxisse, quem cum Conradino tertio posteriorem putat, contendit Albrechtius (Jahrbb. f. class. Phil. 1882) neque tamen probavit; si omnino de utroque loco certum aliquid iudicari poterit, mihi verba 'nunc fama minores sqq.' multo melius in oratione Ilionei audire videntur, quam a penatibus pronuntiata, genuinum igitur locum in primo habuisse libro.

atque Aeneas III, 500:

si quando Thybrim vicinaque Thybridis arva
intraro.

tum autem in quarto libro subito occurrit v. 347:

Italiam magnam Gryneus Apollo
Italiam Lyciae iussere capessere sortes (cf. 376—77)

His quae continetur difficultas nulla interpretatione tolli potest. Dicit Aeneas Didoni, se Grynii ab Apolline, deo domestico, Italiam quaerere iussum esse, sed huius oraculi in tertio libro nec vola nec vestigium [1]; legimus quidem v. 5, Troianos variis divom auguriis in mare latos esse, sed Italiae ut finis itineris nulla mentio, neque potest mentio esse; nam tum Aeneas Thraciam et Cretam, has sibi destinatas esse sedes opinatus, adire nequit. Iam vides vinculo quodam cohaerere versus quarti libri cum secundi 780 ff. – qui et ipsi argumento tertii libri repugnant — nam utroque loco iam in patria Aeneam de fine itineris certiorem fuisse significatur. Atque addi possunt his primi libri versus 382 sqq.

bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
matre dea monstrante viam data fata secutus.

Iam Ribbeckius ut mihi videtur falso concludit, tertium librum quia in erroribus narrandis locum illum II, 780 non respiciat, secundo esse priorem; fingamus enim tertium librum prius scriptum; quid tum sibi volunt I, 382, II, 780, IV, 347? Oblitusne erat poeta totius tertii libri argumentum atque errorum rationes? Nulli hoc persuadebis. An tertium librum secundum hos locos prorsus immutaturus erat? Non credi potest; nam tum omnino de Aeneadis et Pergamo conditis ei tacendum atque septem anni errorum certe erant abiciendi. Itaque aliter res se habet: Si Vergilius iam libro tertio Aeneam

1) Servii huius difficultatis explicatio ferri nequit; nam sententiae nexus inde a v. 340 ni fallor hic est: ipse mea sponte in patria remansissem, sed Gryneus Apollo, qui prope tenet sedes, me domo exagitavit et Italiam quaerere iussit. Atque Lycios hoc loco esse Lycios Homeri et Lyciis quoque sortibus oraculum Apollinis Troiani non Patarei significari persuasit mihi Wilamowitzius.

futurae patriae prorsus ignarum in Thraciam et Cretam navigantem urbesque, ut sibi domicilia essent, condentem induxerat, eundemque in ipso demum itinere de fine errorum edoceri narraverat, postea in aliis libris scribere nequibat Aeneam in Italiam se deventurum iam in Troade scivisse. Composuit potius prius libros primum, secundum, quartum, id modo spectans, ut singulos per se quasi singula et secreta corpora absolveret neque ad errores Aeneae, quos postea enarraturus erat, respiciens; cum autem hos ipsos adiret, vidit, si quidem eos in septem annos diducere et Aeneadas et Pergamum urbes a Troianis conditas vellet, fieri non posse, ut statim ab initio Aeneas extremum itineris finem appeteret; mutandum igitur erat consilium, mutassetque poeta locos repugnantes librorum I, II, IV, si Aeneidem prorsus confecisset.

Etiam septimo libro vel parte eius posteriorem esse librum tertium demonstrari posse arbitror conlatis notis illis locis III, 249 ubi Celaeno harpyia vaticinatur:

accipite ergo animis atque haec mea figite dicta,
quae Phoebo pater omnipotens mihi Phoebus Apollo
praedixit, vobis furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
ibitis Italiam portusque intrare licebit
sed non ante datam cingetis moenibus urbem
quam vos dira fames nostraeque iniuria caedis
ambesas subigat malis absumere mensas.

et VII, 122, ubi dicit Aeneas:

hic domus haec patria est, genitor mihi talia namque
— nunc repeto — Anchises fatorum arcana reliquit
cum te nate fames ignota ad litora vectum
accitis coget dapibus consumere mensas
tum sperare domos defessus ibique memento
prima locare manu molirique aggere tecta.

Hoc loco ubi in eo est, ut vaticinium eveniat, prorsus in universum dicitur, id quondam Aeneae a patre datum esse; atque etiam haec diversitas ita explicari nequit, ut Vergilium eorum

quae antea scripserat oblitum esse statuamus, nam in tertio libro vaticinium non leviter atque strictim attingitur sed ter cum vi pronuntiatur (365. 394.); sed versus septimi libri priores nati sunt, cum poeta in prima operis parte nondum haberet locum, ad quem referret oraculum de mensis consumendis, quod in fonte suo inveniebat[1]). Hunc fontem secutus primum conformabat eventum vaticinii eique adnexuit, id aliquando datum esse, modo patrem Anchisem auctorem nominat, non oraculum Dodoneum neque Sibyllam Erythream. Postea ipsam vaticinationem erroribus Aeneae inseruit, ut hic in eventu oraculi ad certam rem antea narratam respicere posset atque prima Aeneidis pars cum posteriore firmo et arcto vinculo conecteretur.

Neque aliter iudicare possum de tertio et octavo libro id est de augurio suis albae 'triginta capitum fetus enixae'. Dicit Helenus III, 389:

cum tibi sollicito secreti ad fluminis undam
litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
triginta capitum fetus enixa iacebit
alba solo recubans albi circum ubera nati:
is locus urbis erit, requies ea certa laborum.

et Thybris VIII, 42:

hic tibi certa domus certi — ne absiste — penates:
jamque tibi ne vana putes haec fingere somnum
litoreis ingens inventa sub ilicibus sus

---

1) cf. Dion. I, 55: ἐπεὶ δὲ αἱ παρατεθεῖσαι τροφαὶ κατανάλωντο, τῶν ὑπεστρωμένων αὐτοῖς σελίνων εἴτε ἰτρίων ἔφαγέ τις καὶ αὖθις ἕτερος. ἐν τούτῳ τυγχάνει τις εἰπὼν εἴτε τῶν Αἰνείου παίδων, ὡς λόγος ἔχει, εἴτε τῶν ὁμοσκήνων· Ἀλλ' ἡμῖν γε ἤδη καὶ ἡ τράπεζα κατεδήδεσται· ὡς δὲ τοῦτο ἤκουσαν, ἅπαντες ἀνεθορύβησαν, ὡς τὰ πρῶτα τοῦ μαντεύματος ἤδη σφίσι τέλος ἔχοι. ἦν γάρ τι θέσφατον αὐτοῖς, ὡς μέν τινες λέγουσι ἐν Δωδώνῃ γενόμενον, ὡς δ' ἕτεροι γράφουσιν ἐν Ἐρυθραῖς σχεδίῳ τῆς Ἴδης, ἔνθα ᾤκει Σίβυλλα ἐπιχωρία νύμφη χρησμῳδός, ἥ αὐτοῖς ἔφρασε πλεῖν ἐπὶ δυσμῶν ἡλίου, ἕως ἂν εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἔλθωσιν, ἐν ᾧ κατέδονται τὰς τραπέζας. cf. Serv. ad III, 256: ut Varro in secundo divinarum dixit, oraculum hoc a Dodonaeo Iove apud Epirum acceperunt.

triginta capitum fetus enixa iacebit,
alba solo recubans albi circum ubera nati.

cf. postea v. 81 sqq.:

Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum
candida per silvam cum fetu concolor albo
procubuit viridique in litore conspicitur sus.

Eicit Ribbeckius Heynium et Peerlkampium secutus versus 42 sqq. usque '*haud incerta cano*'. Hoc non ferendum; primum demptis his versibus versuum series non tam facile procedit quam illi volunt; quam maximam enim interpolationis suspicionem movent verba, quae antecedunt: '*tumor omnis et irae concessere deum*', id quod Klouçek vidit; nam statim sequitur v. 60:

Iunoni fer vite preces, iramque minasque
supplicibus supera votis.

atque ridiculum est dicere: noli bella timere, ira enim deorum recessit, postquam paullo ante ipsum bellum ab ipsa Iunone excitatum est. Deinde autem si versus 42 sqq. eiceremus res ita se haberet: Aeneas in erroribus vaticinium accipit, eo loco urbem desideratam exstructum iri, ubi suem cum triginta porcellis invenisset; atque cum vaticinium eveniat, quid legimus?

Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum
candida per silvam cum fetu concolor albo
procubuit viridique in litore conspicitur sus,
quam pius Aeneas tibi enim tibi maxuma Iuno
mactat sacra ferens et cum grege sistit ad aram.

Primum desideramus triginta illos porcos, quos poeta omittere non debebat, tum autem exspectamus, Aeneam nonnullis verbis ad augurium ante duos annos sibi datum respicere, ita ut VII, 123 quamvis falso facit, atque gaudere, quod tandem urbis suae locum invenerit; nihil tale audimus. Itaque versus VIII, 81 cum III, 389 non concinunt; aptissime vero adiunguntur antecedentibus 42 sq. Dicit Thybris Aeneae dormienti: hic ubi iaces urbem condes ac ne arbitreris te somnio

illudi suem cum triginta porcis sub quercu invenies. Surgit Aeneas et precatur deos domesticos, Thybrimque compellat: '*adsis o tantum et propius tua numina firmes!' Ecce autem subitum atque oculis mirabile monstrum* et q. sqq. Itaque hi duo loci VIII, 42 sqq. et 81 sqq. ut iam Conradino ita mihi firmo vinculo iuncti videntur idque etiam magis apparet, si confers Dionysium, cap. 56: ἕτεροι δὲ λέγουσιν, ἀδημονοῦντι τῷ ἀνδρὶ . . . αὐτοῦ . . . ὡς ἔτυχεν αὐλισθέντι τὴν νύκτα ἐκείνην, ἐπιστῆναι μεγάλην τινὰ καὶ θαυμαστὴν ἐνυπνίου τῶν θεῶν τινι τῶν πατρίων εἰκασθεῖσαν ὄψιν· τὰ λεχθέντα μικρῷ πρότερον ὑποτιθεμένην. τῇ δ' ἑξῆς ἡμέρᾳ τριάκοντα λέγεται χοίρους ἐκτεκεῖν.[1]) Unum tamen Ribbeckius recte vidit, languere Thybris orationem quae ad verbum Heleni vaticinium repetat neque tamen ullo vinculo videatur eo conexa. Cum vero haec verba e textu removere non possimus, difficultas aliter solvenda est: Scripsit poeta primum libri octavi locum, qui per se spectatus optime stat; postea librum tertium composuit et augurium quoque suis albae in prius tempus reduxit, ut operis particulas magis inter se coniungeret, octavi autem libri locum non iam immutavit.

Si vero id tenemus, quod similiter iam C. posuit (pag. 18) singulos Aeneidis libros esse singula corpora, quae separatim neque ceterorum habita ratione composita ergo per se et ab aliis secreta intellegenda essent, atque si vidimus, tertio in libro non paucos locos exstare eo consilio conscriptos, ut ad aliorum librorum referantur, utque hi ad tertii libri rationes immutentur, poetam igitur non id egisse, ut librum per se absolutum componeret, sed iam in totius operis particulis conectendis et reconciliandis versatum esse: si haec nobiscum reputamus, vix dubitare possumus, quin tertius liber sit

---

1) sive Dionysius hoc ex fonte Vergilii sive ex ipso Vergilio sumpsit, quod non credendum, semper verisimile fit, Vergilium eodem modo rem narrasse; cf. etiam, quae Dionysius antea in eodem capite de eadem re dicit.

scriptus, cum magna Aeneidis pars iam fuerit perfecta, dico librum primum, quartum, secundum, atque si Vergilium singulos libros uno tempore confecisse nobis fingimus, septimum et octavum totos, frustulas, si alias aliis temporibus partes librorum scriptas volumus, quamquam hoc non ita verisimile atque ad nonnullos libros certe minime valet. Addere possum librum sextum; nam certe multum offendit, quod Aeneas VI, 115:

quin ut te supplex peterem et tua limina adirem
idem (sc. pater) *orans mandata dabat*

et VI, 695:

tua me genitor tua tristis imago
saepius occurrens haec limina tendere adegit.

modo a patre se monitum esse dicit, ut Sibyllam adiret et ad inferos descenderet, atque prorsus obliviscitur Heleni (III, 441—460) qui primus ei hoc imperaverat[1]).

Iam eis locis, qui tertium librum post primum, secundum, quartum scriptum esse mihi probare videntur, alios addam, quibus elucet, Vergilium cum in libris I. II. IV componendis occupatus esset, argumentum tertii libri nondum curasse; quin prorsus oblitus videtur, se aliquando hunc librum esse conscripturum. Nam Dido, ut prorsus inscia est — non minus quam Aeneas — oraculorum quae Troianis in erroribus data sunt (cf. IV, 340—78) ita cum furore capta iterum Aeneam narrantem audire velit, de erroribus tacet; IV, 77:

nunc eadem labente die convivia quaerit

---

1) affert haec verba Heleni Conrads, quibus probet, (pag. 5. 6) primum Sibyllae multo plura tribuere voluisse Vergilium, quam quae nunc Aeneae praedicat; sed quid, quaeso, Sibylla omnino de bellis futuris plus dicere poterat, quam vv. 96—98. His omnia continentur quae instant; quod autem obscuris verbis pronuntiata sunt, hoc unius cuiusque vaticinii proprium est.

Iliacosque iterum demens audire labores
exposcit pendetque iterum narrantis ab ore.

et Aeneas cum fata sua expositurus sit, nihil nisi Troiae excidium se enarrare velle dicit; II, 3:

infandum regina iubes renovare dolorem
Troianas ut opes et lamentabile regnum
eruerint Danai quaeque ipse miserrima vidi
et quorum pars magna fui, quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
temperet a lacrimis? et iam nox umida caelo
praecipitat suadentque cadentia sidera somnos.
sed si tantus amor casus cognoscere nostros
et breviter Troiae supremum audire laborem
incipiam.

neque omnino Didonem de erroribus Aeneae quaesivisse arbitror; intentius enim quaeso perlege ultimos primi libri versus inde a 748:

nec non et vario noctem sermone trahebat
infelix Dido longumque bibebat amorem
multa super Priamo rogitans, super Hectore multa
nunc quibus Aurorae venisset filius armis
nunc quales Diomedis equi nunc quantus Achilles!
'immo age et a prima dic hospes origine nobis
insidias, inquit, Danaum casusque tuorum
erroresque tuos; nam te iam septima portat
omnibus errantem terris et fluctibus aestas'.

Quaerit igitur Dido multa de bello Troiano, de Priamo, de Memnone, de Diomede, de Achille; pergit: sed nolo plura rogitare, tu potius nobis haec omnia id est proelium Troianum a prima origine continua oratione enarra, quae Graeci gesserint, quae cives tui passi sint. Vide quantum tunc ex hoc sententiarum nexu excidat '*erroresque tuos*'. Si haec verba sententiae apte implicari voluit poeta, post versum 752 scribere debebat: 'nunc quot terras et maria Troiani adierint', vel tale aliquid; deinde enunciatum totum male conformatum

videtur; verba '*a prima origine*' quamquam in initio enunciati inveniuntur ad '*erroresque tuos*' referri nequeunt; intellegere possumus originem id est causam insidiarum et casuum, non vero originem errorum; dicere debebat regina 'ab initio'. Insequentia autem verba: '*nam te iam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus aestas*' stare non posse vidit Ribbeckius, minime refutatus a Kettnero (Zeitschr. f. Gym. 1879. p. 659). Audiverat sane Dido Iliacas pugnas '*bellaque iam fama tota volgata per orbem*', narraverat ei Teucer atque quicunque postea ad Carthaginis oram appulit, quanta sub Troiae moenibus gesta essent, sed quo anno gesta essent, hoc nullius erat momenti neque Didonis quidquam interfuit; sin autem utique eam annum quoque Troiae expugnatae a Teucro accepisse atque memoria retinuisse contendere vis, tum etiam quaeso finge tibi eam, dum epulantur v. 724 sqq. convivae, digitis porrectis secum computantem, quot anni post Troiam captam praeterierint. An censes omnes homines eo tempore annos a Troia diruta numerasse? Faciunt hoc Troiani, hi dicere possunt '*septima post Troiae excidium iam vertitur aestas*', aliis annus quidem non curae est. Itaque versibus 755. 56 inquinatur sententia; aut sunt interpolati [1]), id quod Ribbeckius de verbis '*nam te iam septima sqq.*' statuit — vix autem cuiquam hemistichium in fine libri probabit — aut a poeta, ut postea fusius tractarentur et sententiae aptius implicarentur, pro tibicinibus [2]) libro adscripti;

---

1) repugnant insuper versui V, 626; nam utroque loco dicitur iam septimam aestatem Troianos in erroribus degere; tamen intercedit inter ambas has aestates hiems apud Didonem transacta. Hanc difficultatem ita solvere studet Kettnerus, ut dicat, cum quando quinti libri argumentum statim tertio libro successerit, igitur quae in primo libro narrentur statim ea exceperint, quae quinto contineantur, re vera hanc aestatem unam eandemque esse. Sed semper septima est errorum, atque accedit hiems, quam Carthagine morantur, ita ut Aeneas non septimo sed octavo demum anno in Latium veniat; quod non accipiendum est.

2) Etiam Weidnerus verba '*nam te iam septima sqq.*' ita nata esse

atque tum demum adscripti, cum iam errores ab Aenea narratos composuerat et hoc loco eorum mentionem facere debebat.

Iam ea collegi quae mihi videntur probare librum tertium non una cum primo, secundo, quarto, sexto sed posteriore tempore esse scriptum atque magis ad quinti tempus accedere, quocum etiam aliis vinculis nexus sit [1]). Libros autem primum, secundum, quartum, sextum primos esse scriptos, omnia indicia confirmant, — de secundo, quarto, sexto Suetonius testatur, cui mehercle non est cur diffidamus — nam his in libris non pauca invenies, quae ut ita dicam vagantur neque habent, quo referri possint. Id autem tantum primo operis tempore accidere poterat, ut Vergilius in loco aliquo conscribendo nesciret, num huius loci postea rationem habere posset; atque in tertio libro talia frustra quaeres. In libro primo vide locum quem iam attuli I, 382:

bis denis Phrygium conscendi navibus aequor
matre dea monstrante viam data fata secutus.

nunquam Venus Troianis errantibus comparuit, sed quomodo poeta ad hos versus scribendos adductus sit, ex Servio satis intellegitur, qui adnotat: Varro in secundo rerum divinarum dicit: 'ex quo de Troia est egressus Aeneas, Veneris eum per dies quotidie stellam vidisse, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulterius, qua re et terras cognovit esse fatales.' de hac Veneris opera nihil audimus, omnino autem videtur poeta huic deae initio plus tribuere voluisse, quam postea tribuit cf. I, 407, ubi dicit Aeneas:

quid natum totiens, crudelis tu quoque, falsis
ludis imaginibus?

et VIII, 531

Troius heros
adgnovit sonitum et divae promissa parentis.

---

posuit (pag. 449); de interpolatione autem cogitare vetat nos imitatio quae videtur Ovidii Her. VII, 85 sqq.: *nec mihi mens dubia est quin te tua numina damnent: per mare per terras septima iactat hiems!*

1) cf. Kettner, Jahrbücher f. class. Phil. 1879.

tum memorat . . .
'hoc signum cecinit missuram diva creatrix
si bellum ingrueret, Volcaniaque arma per auras
laturam auxilio.'

nihil autem antea de promisso Veneris et de signo aliquo narratur. In libro altero utpote qui Troiae excidium rem per se absolutam et cum aliis libris vix ullo vinculo iunctam contineat, unum locum proferre possum etiam hunc iam nominatum et explicatum, vaticinium Creusae v. 788 sqq. sed vide in quarto v. 425:

non ego cum Danais Troianam exscindere gentem
Aulide iuravi classemve ad Pergama misi
nec patris Anchisae cineres manesve revelli.

cf. Servium: 'sciendum sane, Varronem dicere Diomedem eruta Anchisae ossa filio reddidisse'. Hanc fabulam Vergilius erroribus Aeneae implicare omnino nequibat. Atque 655:

urbem praeclaram statui mea moenia vidi
ulta virum poenas inimico a fratre recepi.

de his poenis nihil in primo libro comperimus; adde his, quae de Grynio Apolline et sortibus Lyciis ante exposui (v. 345. 46). In sexto libro apud inferos Palinuro dicit Aeneas v. 344:

hoc uno responso animum delusit Apollo
qui fore te ponto incolumem finisque canebat
venturum Ausonios. en haec promissa fides est?

Quis ex his libris primus scriptus sit contendere non audeo; primus vero liber videtur compositus post quartum; nam mutatio illa Ascanii et Cupidinis in quarto libro non ad finem perducitur; neque si iam primum confecisset librum, in quarto Didonem poeta dicentem facere poterat: *ulta virum poenas inimico a fratre recepi.* Videtur etiam sextus liber prior esse; nam si locum primi libri 102—123, ubi Orontes dux Lydorum procella ab Aeolo mota in Syrtibus navi excussus et fluctibus mersus describitur, ante oculos habuisset, certe non scripsisset prorsus in universum VI, 333:

cernit ibi maestos et mortis honore carentis
Leucaspim et Lyciae ductorem classis Orontem,
quos simul ab Troia ventosa per aequora vectos
obruit auster, aqua involvens navemque virosque.

sed manifestum, ad hos versus locum primi libri esse conformatum; de Leucaspi autem alibi nihil audimus, atque si vis adsere etiam hunc locum ceteris modo allatis.

Igitur ut finem faciam, de primorum sex librorum temporibus res ita se habere videtur. Primi scripti sunt libri II. IV. VI., id quod Suetonii idonei auctoris testimonio satis confirmatur, post scriptus est primus liber, atque ad extremum, interim aliis opera data ut septimi, octavi, noni (de hoc libro cf. Ribb. proll. pag. 79) certe partibus, liber tertius et quintus.

2.

Constat non pauca Vergilium 'secundis curis' operi suo inseruisse, quae etiam nos dignoscere possumus, si poeta loco, quem denuo tractavit, extremam manum non admovit. Equidem duo huiusmodi exempla proferre velim, ubi res non parvi momenti videtur esse. Ac primum verba faciam de versibus Aeneidis II, 567—631.

Versus 567—88[1]) in omnibus qui aliquid valent codicibus desunt, neque a Servio explicantur neque a commentatoribus quos adhibuit; nusquam citantur, nullo igitur testimonio comprobati sunt. Dicuntur a Vario et Tucca sublati

---

1) adsentior in iudicandis eis prorsus Ribbeckio proll. pag. 92. 93.

esse de causis quae nullae sunt[1]), ut Ribbeckius aliique iam satis exposuerunt. Mihi quidem ut Gruppio, Ribbeckio, Peerlkampio haec sufficiunt, ut contendam versus non magis esse genuinos quam qui decimae satirae primi Horatii libri antecedant. Augent interpolationis suspicionem difficultates et perversitates grammaticae ne ab eis quidem negatae[2]), qui neglectis quae modo attuli versus genuinos putant.

Reiectis his versibus hiat narratio[3]), quia v. 594:

nate quis indomitas tantus dolor excitat iras

non iam intellegitur et v. 601 postulatur ut antea Helenae mentio sit facta. At difficile videri potest tanti ambitus lacunam in eo libro statuere, qui antiquitatis testimonio in perfectissimis Aeneidis habitus ab ipso poeta apud Augustum recitabatur; vix autem ad recitandum aptus erat, si pars narrationis (vv. 588—603) lacuna antecedente prorsus obscurabatur. Attamen interpolatio certa videtur. Qua difficultate adducor ut in prima libri alterius compositione versus 589--631 om-

---

1) delevisse Verg. amicos hos versus Servius tradit et quia repugnarent libri sexti versibus 511 sqq. et quia dedecori putassent esse Aeneae mulierem aggredi.

2) cf. Weidnerum (p. 401 sqq.); adnotat ad v. 574: invisa] . . . freilich in der Bedeutung „ungesehen“ kommt invisus nirgends vor. Wir haben also in dieser zweifelhaften Partie einfach ein exemplum epicae loquacitatis zu notiren, aber sicher nicht ad imitandum! ad v. 585: . . . man sagt nicht sumere poenam alicuius = ab aliquo noch auch merentes poenas sumere = meritas. Häckermann II. 32 will deshalb zu merentis (Acc.) 'sumi ergänzen = et sumpsisse poenas sumi merentes. Dies ist freilich eine merkwürdige Tautologie. ad v. 587: ultricis flammae] Für eine solche Verbindung wird sich nicht leicht ein Beispiel finden lassen. Also ist hier eine Incorrectheit des Ausdrucks zu notiren. Deinde v. 570 verbo 'erranti' nova difficultas infertur. Recte Weidnerus dicit: „Er selbst befindet sich nicht mehr auf der Höhe des Palastes sondern ist bereits herabgestiegen um einen verborgenen Weg zu dem Hause des Anchises zu finden. cf. 570.“ Sed cum Venus postea ei Troiam ardentem monstrat, rursus summa in arce eum stare necesse est.

3) Atque hoc potissimum nonnullos interpretes deterruit, quominus versus uncis includerent.

nino defuisse poetamque totam in qua et Helenam et Venerem induceret scenam postea demum secundis curis inseruisse censeam; neque enim solum in initio huius loci lacunam satis amplam perspicimus, hiat oratio iterum in fine eius; nam enunciati inde a versu 626 deest apodosis. Atque etiam duo hemistichia 614. 623 totum locum non perfectum esse docent.

Deinde ideo locum secundis curis additum iudicem, quia rerum nexum interrumpit; nam et antecedentibus male adiunctus est neque cum insequentibus coit. Aeneas cum Priamum senem foede truncatum videat, ipsius patris reminiscitur, qui inermis summo periculo obiectus cum Creusa et Iulo domi moratur v. 559:

ac me tum primum saevos circumstetit horror
obstupui, subiit cari genitoris imago,
ut regem aequaevom crudeli volnere vidi
vitam exhalantem, subiit deserta Creusa
et direpta domus et parvi casus Iuli.

Exspectamus, 'pium' Aeneam cum tam saevum periculum suorum sibi ipse ante oculos posuerit, statim domum esse abiturum, — non abit, sed oportet non multo post Venerem idem periculum isdem verbis exponere, quae pronuntiantur, quasi Aeneas antea nondum ipse suorum recordatus esset, v. 595:

quid furis aut quonam nostri tibi cura recessit?
non prius aspicies ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen, superet coniunxne Creusa
Ascaniusque puer?

Hoc vix ferendum: aut crudeli caede Priami visa commovetur Aeneas, ut suis occurrat, aut matre hortante; utraque causa per se sufficit, ambae nimium. Censuit Weidnerus (p. 401):

---

1) si vis consentio cum Peerlkampio, qui totum locum — exceptis vv. 624—33, qui tamen arcto vinculo cum antecedentibus iuncti sunt — suo more interpolatum putat.

„Zur vollständigen Sinnesänderung kann die pietas unmöglich ausreichen; der Dichter braucht dazu ein stärkeres Motiv, die Intervention der Venus, welche dem Aeneas dasjenige mit aller Strenge gebietet, wozu bereits sein Herz sich neigt.“ His assentire nequeo; nam si quidem Aeneae pietas semper ut summa ipsius laus elucet, si hac in pietate omnino totum carmen vertitur, tum poeta nostro loco egregiam occasionem nactus eius depingendae ad pietatem solam rerum vicissitudinem redigere debebat neque aliam causam addere, qua motus ille e pugna cedit, ut suos et penates per incendia hostesque expediat. Quodsi facit, in describendis Aeneae moribus cum non sibi constet, gravissimo vitio obnoxius est iudicandus.

Deinde, ut ad finem loci nostri me convertam, quomodo Aeneas postquam Venus ei apparuit disertisque verbis promisit (v. 620) se filium salvum per hostes ducturam esse, dicere potest v. 632: '*descendo ducente deo*'? Ita ut verba primo loco interpretetur quispiam: 'ducente numine aliquo divino', vertere nequimus, quia Aeneas hoc numen probe noscit; vix enim tibi placebit Ladewici explicatio: „ducente deo unter göttlicher Leitung, welche Aeneas der Venus allerdings zuschreiben kann (parum hoc, debet fretus esse Veneris ope; nam dixerat Venus: '*nusquam abero et tutum patrio te limine sistam*') und ihr auch wirklich v. 664 zuschreibt, während er sich hier allgemeiner ausdrückt, weil auch ein anderer Gott ihn geleiten konnte und Venus sich seinen Blicken nach v. 621 entzogen hatte“. Neque vero accipere possumus 'deo' pro 'eo certo numine, quod antea visum est'; nam tum scripsisset Vergilius 'ducente matris numine', non obscure et contorte 'ducente deo'.

Igitur vv. 589—631 secundis curis additos arbitror. Neque tamen id contendo, Vergilium in prima libri conformatione omnino Helenam introducere noluisse, nam in excidii Troiae descriptione utique Helenae erat mentio facienda; sed velim animum advertas, cetera omnia, quae libro II conti-

neantur, praeter somnium fortasse Aeneae[1]) (v. 268—298) eiusque in urbe proelia, quae parvi sunt spatii atque Graecorum virorum factis prorsus obscurantur, cetera omnia, equum ligneum Laocoontem Sinonem Panthum[2]) Cassandram Coroebum Priamum Aeneae exitum iam in fontibus Vergilii extitisse atque perpauca certe his a poeta addita esse. Contra Aeneae et Helenae congressum, quos Venus, utriusque patrona, dirimit, tumque eandem deam filio Troiam a dis dirutam monstrantem: hoc utrumque, praeclare hercle excogitatum, Vergilius quamvis in libro II enarrare constitueret, tamen in posterius tempus distulit atque primum fontes relegens cetera composuit. Quam ob rem narrationem v. 566 abruptam statim v. 632 continuans prorsus in universum et obscurius scripsit 'ducente deo', Venerem postea introducturus, atque paullo infra v. 664:

hoc erat, alma parens, quod me per tela per ignis
eripis, ut mediis hostem in penetralibus utque
Ascanium patremque meum iuxtaque Creusam
alterum in alterius mactatos sanguine cernam?

Eorum autem quae postea inserere volebat, frustula tantum reliquit, vv. 589—631; lacunam explere conatus est interpolator, nec vero recte explevit; nam Vergilius ita sane Helenam depinxisset, ut cum Helenae sexti libri congrueret, neque repugnant tali descriptioni versus inde a 588, quibus modo postulatur, ut Aeneas Helenam antea viderit aspectuque eius ad iram commotus sit.

In quarto quoque libro secundas curas Vergilii detegi posse puto. Regina 'saucia cura' postridie eius diei, quo Aeneas fata sua enarraverat, cum Anna sorore collocuta dicit,

---

1) etiam hoc potest iam esse Stesichori, utpote qui in 'Troiae excidio' Aeneae multum tribuerit; cf. tab. Iliac. et Iahn. 'Bilderchronik' § 71. 73. 77.

2) cf. Iahn. § 71.

nisi apud se constituisset Sychaeo fidem servare, se Aeneae nupturam esse. Soror respondet se non intellegere, cur alterum matrimonium recuset, et Didoni omnia commoda, quae ex Aenea coniuge perceptura sit, explicat; modo deos veniam poscat amoris, cui indulgeat atque quem Dido semper scelus esse putat (cf. v. 19. 27. 85.). His verbis animus reginae antea dubius ad amorem inflammatur. Adeunt templa et pacem a deis exquirunt — non idem est quod venia sed fortasse accipiendum 'pacem cum deis', ne dei propter novum coniugium irascantur - Dido ipsa pateram tenet atque vinum supra hostiam effundit aut (?) ad aras se confert atque diem donis instaurat, (quando antea dona tulit?) deinde exta consulit. Cur? ut videat, id quod cogitare debemus, num dei sibi propotii sint et veniam dent, num dis volentibus hospitio indulgere possit? Minime, nam sequitur v. 65:

heu vatum ignarae mentes, quid vota furentem
quid delubra iuvant? est mollis flamma medullas
interea et tacitum vivit sub pectore volnus!

Hoc nihil aliud significare potest nisi: Quid prodesse possunt mulieri amore correptae deorum templa, in quibus medelam furoris invenire vult, quid vota, quae vovit, ut sibi pacem et tranquillitatem animi reddant dei! [1]) His ignis amoris in pectore non extinguitur neque desinit ardere sed indies violentior fit. Itaque Dido non pro amore, cui se dare vult, veniam apud deos quaerit, sed cultu deorum amorem comprimere studet; hoc autem cum antecedentibus v. 50. 51. 55 non quadrat [2]). Aliud accedit; post versum 62 semper de

1) cf. Sil. VIII, 100 *heu sacri vatum errores! dum numina noctis eliciunt spondentque novis medicamina curis, quod vidi decepta nefas!* et Apul. Metam. X, 682 *Heu medicorum ignarae mentes! Quid venae pulsus, quid fatigatus anhelitus: ergo igitur impatientia furoris altius agitata sqq.*

2) coniecturam feci, priusquam Peerlkampii de hoc loco sententiam novi, atque summo affectus sum gaudio, cum viderem virum illum sagacissimum isdem verbis offensum esse atque me, modo uti solet interpolationem statuit, versus 65—67, quia antecedentibus repugnant, spurios iudicans.

compluribus diebus cogitare debemus, id quod efficitur verbis '*instauratque diem donis*' (v. 63) atque versibus 86—89:

non coeptae adsurgunt turres non arma iuventus
exercet portusve aut propugnacula bello
tuta parant: pendent opera interrupta —

Hae difficultates solvuntur, si colloquium inter Didonem et Annam omittimus: Reginam iamdudum — primis diebus quibus Aeneas Carthagine moratur — quies deseruit curis vexatam, atque ut hanc quietem recuperet, cum sorore templa deorum adit (v. 56) atque pacem requirit; nam quia dolet, deos sibi infestos putat; vota facit, sacra fert, dona donis cumulat sed '*quid vota furentem quid delubra iuvant! est mollis flamma medullas interea et tacitum vivit sub pectore volnus*'. Melius mihi nunc quoque vv. 68—85 stare videntur, nam describitur eis Dido amoris non prorsus sibi conscia, cum post dilucida Annae verba vix dubitare possit; atque aptius etiam dictum est v. 171

nec iam furtivom Dido meditatur amorem;

furtivus enim amor est, quem aut ignoramus ipsi aut certe vel nobis fateri nolumus, dum eo urimur; antea autem cum sorore palam de eo iam egit. Id quoque animadvertendum, Annam cum Didonem moribundam conspiciat non sibi opprobrio vertere, id quod sane debebat, quod ipsa prima sororem ad amorem incitaverit. Neque minus mirum est, quod Dido cum se ab Aenea desertam videat, calamitatis suae culpam totam sibi soli tribuit v. 419:

hunc ego si potui tantum sperare dolorem
et perferre soror potero

atque sororem ne verbo quidem obiurgat immo supplici voce precatur, ut Aeneam precibus retineat:

miserae hoc tamen unum
exsequere, Anna, mihi

attamen aptissime suoque iure Annam acerbis verbis castigare poterat atque flagitare, revocet iam et reconciliet eum,

cuius quando amori prima sororem tradiderit. Sensit hoc Ribbeckius atque post v. 418 inculcavit vv. 548. 49:

tu lacrimis evicta meis tu prima furentem
his germana malis oneras atque obicis hosti.

Sed hoc quamquam recte excogitatum ferri nequit, quia insuper tum lacuna ante 419 statuenda est et vv. 548. 549 repugnant versibus 419 sqq. Id autem Ribbeckio libenter concedo vv. 548. 49 ubi tradita sint permale orationi Didonis esse adiunctos; perorat regina v. 547

quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.

qui sequuntur vv. 548—52 quippe eodem tempore inserti quo Didonis et Annae colloquium languent.

In altera libri quarti parte non pauca offendunt. Aeneas Iovis monitu adactus proceres classem instruere (289) omniaque ad proficiscendum parare iubet; cui imperio dum obsequuntur (295) fama ad Didonem pervenit. Graviter invehitur in Aeneam, qui frustra se excusat ac furentem placare studet; maestus abit atque naves vix restauratas deducendas curat:

Teucri incumbunt et litore celsas
deducunt toto navis. natat uncta carina
frondentisque ferunt remos et robora silvis
infabricata fugae studio.

omnes ad litus accurrunt et faciunt quod ultimum fieri solet si classis avectura est, commeatum provident frumentumque in naves conferunt. Quod cum Dido ex arce urbis videat (410. 411) cumque in eo esse intellegat, ut ancorae solvantur, quia iam vela intenduntur — v. 417 *vocat iam carbasus auras* — tum ad extremas preces descendit et per Annam ab Aenea petit '*tempus inane, dum victam doceat fortuna dolere*'. Sed ne hoc quidem impetrat; atque nunc Troianis omnia sunt perfecta: classis instructa, vela malis adiuncta; expectamus postero quidem sole eos abituros esse; non abeunt. Cur non, nescio. Sine ulla enim causa morantur dum ea geruntur,

quae de Didone poeta narrat vv. 450—553. Neque haec uno die fieri possunt sed certe plures explent.

Deinde nullam video causam, cur Dido sacra sua subito v. 521 abrumpat; expectamus eam si quidem curis liberari velit, tandem rogum incensuram esse. v. 638 demum dicit, sacra Iovi Stygio — de quo antea nihil audimus — quae rite incepisset nunc se perficere velle. Porro postquam v. 475 iam decrevit mori atque quando et quomodo obiret, secum cogitavit, cum rogo iam exstructo v. 508 '*haut ignara futuri*' sit ergo certam mortem ante oculos videat, cur quaeso v. 534 sqq. istae deliberationes? Neque scio, num moribus Didonis et omnino mulieris aptum sit, quod iam desperat et spem salutis deponit, donec ipse cuius desiderio consumitur adest. Sed aliud de moribus eius videamus, quod certius est. v. 474 Dido multis ac saevis auguriis exterrita vesania corripitur et cum Pentheo atque Oreste comparatur. Furiae autem hominem quem arripuerunt, non solent dimittere, priusquam morte peccatum luit; itaque Didonem insaniam, simul conceperit, usque ad mortem quoque asservare atque ex ipsa hac dementia mortem sibi consciscere mihi quidem videtur necesse esse. Sed mens eius non diu turbata est, nam v. 535 sqq. prorsus sana secum deliberat, quid faciat atque nunc quieta et distincta ratiocinatione sibi ipsa explanat, solam mortem sibi relictam esse; neque cum naves e portu progredientes conspiciat, mente capta videtur, nam postquam summo furore contra Aeneam perfidum socios ad arma vocavit, statim dicit v. 595: *quid loquor aut ubi sum? quae mentem insania mutat, infelix Dido!* Sed v. 642 legimus:

at trepida et coeptis immanibus effera Dido
sanguineam volvens aciem maculisque trementis
interfusa genas et pallida morte futura
interiora domus inrumpit limina et altos
conscendit furibunda rogos.

Iam haec rursus Dido furiis vexata! Quodsi has difficultates mihi concesseris, dicam quod volo: Videtur in priore libri

compositione Dido demum post Aeneae discessum res ad mortem suam parasse atque Aeneas statim post v. 449 in altum abisse. Tum autem sic versus sese exceperunt, 416—449, 522—553, 584—629, 450—521, 630 e. q. sqq.; atque talis processit narratio: Frustra Dido conata est Aeneam retinere eiusque mentem immotam (449) flectere et iam ea nocte, quam ultimam in sua terra Troianos degere scit, secum deliberat, quid sibi faciendum sit (522—553); hoc ipso temporis momento rem ad discrimen venisse sentit ac de ipsius sorte futura agi; itaque de eis cogitat, quae sibi iam restent; omnia reicit intellegitque sibi moriendum esse. Atque cum sole oriente (584—629) classem Troianorum portum linquentem videat, ingenti dolore concussa, fugientes primum insequi vult, tum quod non paullo ante extinxerit, se ipsa accusat, extremum exsecratur et detestatur. Tum vero (450) '*mortem orat taedetque caeli convexa tueri*', atque cum insuper divom auguriis, manibus coniugis, nocturnis visis vexetur, furias concipit evicta dolore ac tempus mortis modumque secum exigit. Simulat a sacerdote Massylea sibi remedium amoris fore, iubetque sororem rogum erigere ac quaecunque Aeneas reliquerit [1]) superimponere, sacra facit et v. 519:

testatur moritura deos et conscia fati
sidera; tum si quod non aequo foedere amantis
curae numen habet iustumque memorque precatur.

Deinde v. 642 — et nunc conveniunt quae sane arcto nexu coniuncta sunt — ut sacra sua ad finem perducat, ipsa rogum ascendit. Utrum Vergilius versus 631—41 secundis curis novas addiderit an modo similem scenam, qua nutrix ad so-

1) Atque cum nunc re vera Aeneas abierit, multo melius stant v. 465 sqq. '*agit ipse furentem in somnis ferus Aeneas semperque relinqui sola sibi . . . videtur*' atque aptius dictum est v. 507 *ensis relictus effigiesque* et 495 *arma viri thalamo quae fixa reliquit,* 497 *abolere cuncta viri monimenta iuvat;* nam quid delectare potest ea delere, quae Didoni Aeneae memoriam afferunt, donec ipsa classis, quem quotidie e domo sua prospicere potest, iterum iterumque hanc memoriam revocat?

rorem missa vel soror abire iussa est, nescio; versus autem 630. 31

haec ait et partis animum versabat in omnis
invitam quaerens quam primum abrumpere lucem

nihil aliud nisi versus 450. 474. 75 male repetunt. Omisi uti par est versus 554—583, hos quidem totos secundis curis a poeta additos. Nam nunc fingit sibi Vergilius, Aeneam ob causam, quam non adfert, iusto diutius Carthagine remansisse, apparet igitur denuo Mercurius, qui iterum eum ad proficiscendum incitet[1]; addit ipse causam quae nulla est, neque enim elucet, quo referamus verba dei v. 563:

illa dolos dirumque nefas in pectore versat
certa mori, variosque irarum concitat aestus,
iam mare turbari trabibus saevasque videbis
conlucere faces.

nam Dido antea nihil contra Troianos molitur, modo mori cupit. Quae cum ita sint, si poeta hanc quarti libri mutationem prorsus conficere voluit, opus erat, ut omnia rursus concinerent, primum causam innectere cur Aeneas diutius moretur, tum fortasse post versum 552 Didonem re vera Troianis insidias parantem inducere, denique illas 'furias' reginae atque totam scenam 475—520 paullulum immutare.

Iam vero si quaeris, cur omnino quarti libri et initium et finem retractaverit poeta, explicatio non videtur difficilis. Est liber inter primos nisi ipse primus scriptus eo certe tempore, cum Vergilius modo id agebat, ut singulos libros velut singula corpora componeret; postea cum primus et quintus liber accederent, artiore quodam vinculo argumenta singulorum librorum conectenda erant; inter primum autem et quartum librum hunc conexum Vergilius ea re effecit, quod inserto illo inter Didonem et Annam colloquio initio quarti libri narrationem statim postridie eius diei, quo Aeneas errores narra-

---

1) uti nunc librum habemus, omnino non perspicitur, cur Mercurius iterum Aeneam adeat.

verat, continuavit. Atque si post Aeneae ex Africa discessum Carthagine geruntur quae non exiguum temporis spatium explent, liber V, qui rursus in narrandis Troianorum rebus pergit, male annectitur; sin vero Aeneas e portu procedit, dum Dido mortem oppetit, atque flammas etiam rogi videt, tum optime quinti libri initium excipit finem quarti atque continuitate non turbata narratio quasi uno filo decurrit. Hoc Vergilius voluit, cum quarti libri argumentum cum antecedentibus et insequentibus artius coniuncturus esset. Sexti autem libri versum 456:

infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
venerat extinctam ferroque extrema secutam?

scripsit, priusquam quartum librum mutavit; nam si hoc loco de nuntio vel fama, quae Aeneae allata sit, agitur, ex Africae ora ille proficiscens ignes rogi non iam vidit, nisi forte quis contendit, ignem illum fuisse nuntium, qui reginam 'ferro extinctam' Aeneam certiorem fecisset.

Gaudebo, si tibi unum aliudve ex dissertatione mea probavero; scio enim difficiles esse tales quaestiones tironis viribus vix accommodatas, eoque difficiliores, quia commentarius Aeneidis qui satisfaciat adhuc desideratur. Eos vero non curandos esse censui, qui has quas institui quaestiones omnino respuant atque omnes Aeneidis discrepantias explicatione quamvis contortissima tollere studeant. His, etiamsi argumenta ex ipsa Aeneide repetita non curant, certum antiquitatis de carmine a Vergilio non perfecto testimonium obstat semperque obverti potest, quid tandem poeta tribus illis annis quibus Aeneidem perpoliturus erat facere voluerit; nam tum nihil aliud ei restabat nisi ut hemistichios illos quinquaginta octo expleret. Ac ne hoc quidem opus erat; demonstravit enim nobis Muenscherus 'die unvollständigen Verse in Vergils Aeneide, Jauer 1879' hos semiversus a Vergilio de industria ad sermonis vim augendam esse compositos.

Caput II.

De ablativi usu Vergiliano.

Versanti mihi in conscribenda de ablativi apud Vergilium usu dissertatione in manus venit Kernii disputatio: 'Zum Ablativ bei Vergil', Programm der Königl. Bair. Studienanstalt Schweinfurt 1881, atque iam veritus sum, ne opera mea ad irritum caderet. Tamen quamquam multa ille vir doctus protulit, quae ipse iam reticere debeo, non pauca praetermisit disputatione digna, neque, id quod potissimum est, in usum priorum poetarum inquisivit. Omnes autem quaestiones grammaticae, quae de scriptoris alicuius sermone instituuntur, comparato demum aliorum imprimis antiquiorum usu iustum suum pretium accipiunt. Conatus est Paulus Krueger in dissertatione sua: 'Vergilii Aeneis quibus in rebus iudicanda sit secuta esse exempla veterum poetarum latt.' Ienae 1874 praeter rem metricam etiam sermonem Aeneidis tali modo tractare. Sed cum totam fere grammaticam percensere velit, rem ampliorem quam quae una dissertatione absolvi possit, in singulos casus accuratius inquirere nequibat neque in Vergilio neque in poetis antiquis. Equidem comparavi praeter epica carmina, quae ante Vergilium exstant, etiam fragmenta tragoediae latinae, quia etiam sermo tragicus utpote sublime genus dicendi Vergilio exemplo esse poterat. Operam autem dedi, ut exemplorum quae attuli numerum quantum potui plenum et integrum proferrem; si quis locus me fugit, sit mihi precor venia.

Nemo vero negabit, dignissimum esse Vergilianum sermonem, cui perscrutando operam detur; nam primum ab hoc potissimum poeta totius epicae artis quae sequitur et ratio et oratio pendet, deinde carminis heroici condidit novum et proprium sermonem, atque ex disquisitione grammatica consentaneum est apud eos scriptores maiorem fructum redundare, qui sermonem nondum stabilem ac firmum sed quasi fluentem suo ex ingenio formant atque computant, quam apud eos, qui cum sermonem iam constitutum atque certis legibus circumscriptum tractent nova addere nequeunt.

Vergilius quantum video sermonem suum simplicissimum conformare studet, tamen ut rei quam tractat etiam oratio se applicet, vult eum aliqua ex parte gravem esse non illa levitate, qua postea Ovidius carmina composuit. Effecit hanc quam dico sermonis gravitatem cum aliis artificiis tum, ut demonstrare posse mihi videor, ablativo, genuino latini sermonis casu, liberius quam adhuc factum erat posito. Nec vero hoc sic accipiendum est, quasi huic casui novas significationes implicuerit sed — ut statim summam disputationis meae indicem — ubi nos ad aliquam inter verbum et substantivum vel inter substantivum et substantivum necessitudinem notandam purum casum non sufficere putamus eique aliud quoddam vocabulum addimus vel praepositionem vel participium, ut sententia plana fiat, Vergilius ipsum casum satis validum arbitratus est ad eandem cogitationem exprimendam, vim igitur eius auxit.

Purus ablativus.

Iam statim ad id quod dixi confirmandum, exempla eius puri ablativi affero, quem causalem appellamus; legimus:

I[1]), 99 *saevos ubi Aeacidae telo iacet Hector*

1) libros Aeneidis nullo signo addito, simplici numero enotavi.

nos dicimus 'vor, unter dem Geschoss', Graeci 'ὑπὸ τοῦ ἔγχους' oratio pedestris 'telo ictus'. Similiter explices velim locos:

II, 492 *labat ariete crebro — ianua.*
IX, 704 *neque enim iaculo vitam ille dedisset.*
809 *saxis solida aera fatiscunt.*
XII, 209 *cum semel in silvis imo de stirpe recisum*
matre caret posuitque comas et bracchia ferro
olim arbos.
G. I, 44 *zephyro se glaeba resolvit.*

deinde:

VIII, 226 *deiecit saxum ferro quod et arte paterna*
pendebat.

= ferro suspensum vel stabilitum.

II, 412 *oriturque miserrima caedes*
armorum facie et Graiarum errore iubarum

= adducta facie armorum sive ex armorum facie.

II, 561 *ut regem aequaevom crudeli volnere vidi*
vitam exhalantem

= ex crudeli volnere, crudeli volnere afflictum.

X, 450 *aut spoliis ego iam raptis laudabor opimis*
aut leto insigni

laudabor aut quia spolia rapui aut quia praeclare mortuus sum.

XI, 289 *Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium*
haesit

= manu retardata est.

VI, 209 *sic leni crepitabat brattea vento*

= leni vento agitata.

II, 195 *talibus insidiis periurique arte Sinonis*
credita res.

Imprimis autem ablativus 'fato' et 'fatis' et praepositione et participio caret et significat 'sicut fato destinatum est':

IV, 696 *nam quia nec fato merita nec morte peribat.*
VI, 466 *extremum fato quod te adloquor hoc est.*
VII, 50 *filius huic fato divom prolesque virilis*
nulla fuit.

314 *atque immota manet fatis Lavinia coniunx.*
VIII, 292 *ut duros mille labores*
rege sub Eurystheo fatis Iunonis iniquae
pertulerit.
IX, 643 *iure omnia bella*
gente sub Assaraci fato ventura resident.

'imperio' atque alii eiusmodi ablativi ut in prosa oratione sine participio inveniuntur, sic apud Vergilium: imperio et imperiis V, 726. VIII, 381. IX, 675. 716. XI, 235. iussu et iussis II, 247. X, 155. 444. monitu et monitis IV, 331. VI, 533. IX, 501. X, 689. invenitur etiam 'praeceptis':

III, 546 *praeceptisque Heleni dederat quae maxima rite*
Iunoni Argivae iussos adolemus honores.

Deest deinde participium plerumque si de animi motu agitur:

I, 171 *ac magno telluris amore*
egressi optata potiuntur Troes arena.
II, 63 *undique visendi studio Troiana iuventus*
circumfusa ruit.
400 *pars ingentem formidine turpi*
scandunt rursus ecum.
413 *tum Danai gemitu atque ereptae virginis ira*
undique collecti invadunt.
III, 213 *mensasque metu liquere priores.*
IV, 164 *tecta metu petiere.*
235 *quid struit aut qua spe inimica in gente moratur?*
V, 676 *metu per litora passim — diffugiunt.*
VI, 314 *tendebantque manus ripae ulterioris amore.*
VIII, 556 *vota metu duplicant matres.*
705 *omnis eo terrore Aegyptus et Indi*
omnis Arabs omnes vertebant terga Sigaei.
X, 189 *namque ferunt luctu Cycnum Phaethontis amati*
dum canit . . .
769 *ingemuit cari graviter genitoris amore.*
IX, 807 *fugit ante omnis exterritus Arruns*
laetitia mixtoque metu.

XII, 131 *tum studio effusae matres et volgus inermum*
invalidique senes turris ac tecta deorum
obsedere [1]).

Inveniuntur apud Vergilium etiam participia: captus, impulsus, concussus, percussus, accensus, succensus, flammatus, non vero ut additamenta ablativi sed integrae enunciati partes, ita ut deesse nequeant. Primum enim enunciato ita sunt intexta, ut alii verbo in aequo posita sint sive alteri participio sive adiectivo. cf.:

III, 330 *ast illum ereptae magno flammatus amore*
coniugis et scelerum furiis agitatus Orestes
excipit.

IV, 194 *nunc hiemem inter se luxu, quam longa, fovere*
regnorum immemores turpique cupidine captos.

697 *sed misera ante diem subitoque accensa furore . . .*

X, 397 *Arcadas accensos monitu et praeclara tuentis*
. . . pudor armat in hostis.

XI, 709 *at illa furens acrique accensa dolore . . .*

XII, 277 *at fratres animosa phalanx accensaque luctu . . .*

aut a participio aliud substantivum pendet, cf.:

V, 869 *multa gemens. casuque animum concussus amici.*

VII, 392 *furiis accensas pectore matres*

XII, 468 *hoc concussa metu mentem Iuturna virago*

G. IV, 357 *percussa nova mentem formidine mater.*

Saepius deinde non structura quidem grammatica sed sensu postulatur, ut his participiis, cum pro se quidque integram sententiam vel enunciatum praebeat, propriam suam vim tribuamus. Legimus:

VII, 496 *ipse etiam eximiae laudis succensus amore*
Ascanius curvo derexit spicula cornu

non 'prae amore laudis tela mittit' sed narratur: 'capitur Ascanius gloriae studio et sagittam dirigit'. Similes sunt loci:

---

1) Cum participium desit, nonnullis locis dubium esse potest, quomodo interpretemur, utrum exempli causa 'qua spe' = cum qua spe 'mit, in welcher Hoffnung' an = 'qua spe ductus' accipiamus.

VII, 189 *quem capta cupidine coniunx*
aurea percussum virga versumque venenis
fecit avem Circe.
XII, 392 *Iasides acri quondam quoi captus amore*
ipse suas artes sua munera laetus Apollo
augurium citharamque dabat.
411 *hic Venus indigno nati concussa dolore*
dictamnum genetrix Cresaea carpit ab Ida.
946 *ille oculis postquam saevi monimenta doloris*
exuviasque hausit, furiis accensus et ira
terribilis: 'tune hinc spoliis indute meorum
eripiare mihi!'

Atque
II, 343 *illis ad Troiam forte diebus*
venerat insano Cassandrae impulsus amore

participium 'impulsus' suam vim retinet; non amore captus Troiam venerat Coroebus, sed amor quasi a tergo stans eum impulit, pulsum dedit, ut Troiam iret. Praeterea inveni haec participia:

IX, 197 *obstupuit magno laudum percussus amore.*
Ec. VI, 10 *si quis tamen haec quoque si quis — captus amore leget*
G. II, 475 *me vero primum dulces ante omnia musae*
quarum sacra fero ingenti percussus amore
accipiant.

Omnino non inveni ablativis quae animi motum significant iuncta participia 'commotus, adductus, pulsus, compulsus'. 'Commotus' atque verbum commovendi apud Vergilium semper est 'e quiete excitare' vel 'turbare';

V, 213 *qualis speluncā subito commota columba*
VII, 494 *hunc procul errantem rabidae venantis Iuli*
commovere canes. (sc. cervum)
G. IV, 471 *at cantu commotae Erebi de sedibus imis*
umbrae ibant.
et VI, 301 *qualis commotis excita sacris — Thyias.*

Quodsi insuper respicis locum

I, 126 *interea magno misceri murmure pontum*
emissamque hiemem sensit Neptunus et imis
stagna refusa vadis; graviter commotus — et alto
prospiciens summa placidum caput extulit unda

eadem significatione usurpatum esse verbum fortasse mihi concedes:

I, 360 *his commota fugam Dido sociosque paravit.*

Pygmalion enim Didonis frater Sychaeo eius marito clam ante aras necato sororem scelus celat. Quae dum nihil verita secura in regnando perseverans vitam agit, subito per somnum coniugem aspicit, qui pallidus et pectus gladio traiectum nudans facinus patefacit atque uxori fugam suadet. Nunc pergit poeta: 'his commota Dido' id est 'his e quiete excitata' non 'his adducta'. Participia 'actus, adductus, compulsus' semper suam vim propriam prae se ferunt. cf. I, 32. VI, 532. VII, 199. 223. X, 380. I, 575.

Eandem sermonis gravitatem, quam Vergilius ablativo solo efficit, etiam assequitur hunc ablativum non cum participio sed cum adiectivo iungens. Nam participium si invenitur, tantum certiores fimus aliquid accidisse vel accidere, adiectivum si legimus, videmus id quod fit quasi ante oculos positum; illic causa narratur hic elucet effectus. Exempli causa si dicit poeta 'Pelias volnere Ulixis tardatus' modo scimus Peliam ab Ulixe volneratum ac fessum esse[1]), sed

II, 436 *quorum Iphitus aevo*
iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi,

videmus Peliam volnere afflictum tardo per vias se trahentem. Tali dicendi genere Vergilius saepius utitur:

V, 275 *. . . serpens*
aerea quem oblicum rota transit aut gravis ictu
seminecem liquit saxo lacerumque viator

= saxo laceratum;

---

1) cf. XII, 746 '*genua tardata sagitta*'.

VI, 497 *Deiphobum vidit — populataque tempora raptis auribus et truncas inhonesto volnere nares*
= volnere truncatas;

Ec. II, 26 *cum placidum ventis staret mare*
= ventis sedatum[1]).

cf. deinde: III, 151 *penates — multo manufesti lumine.* IV, 1 *at regina gravi iamdudum saucia cura.* 176 *Fama — parva metu primo.* 642 *coeptis immanibus effera Dido.* V, 358 *ostentabat et udo — turpia membra fimo.* VI, 237 *spelunca — tuta lacu nigro nemorumque tenebris.* 674 *prata recentia rivis — incolimus.* VII, 203 *Saturni gentem haut vinclo nec legibus aequam.* 608 *portae religione sacrae et saevi formidine Martis.* 683 *roscida rivis — Hernica saxa colunt.* VIII, 598 *lucus — religione patrum late sacer.* G. III, 354 *volat vi fervidus axis* (vi calefactus). 407 *iacet aggeribus niveis informis* (sc. terra).

pro participiis accensus, captus etc. legimus adiectiva fervidus, efferus. VIII, 205 *Caci furiis mens effera.* 230 *fervidus ira.* XII, 325 *subita spe fervidus.* fessus pro fatigatus (II, 596. V, 715. VI, 503) iam minus est notabile.

Evitat porro Vergilius participium perfecti ablativis substantivorum verbalium, qui in 'u' exeunt; legimus:

I, 677 *regius accitu cari genitoris ad urbem*
Sidoniam puer ire parat.

non videbatur ei gravitati epici carminis aptum: 'accitus a genitore'. cf.:

VII, 751 *quin et Marruvia venit de gente sacerdos*
Archippi regis missu.
IX, 667 *tum scuta cavaeque — dant sonitum flictu galeae.*
X, 750 *illum infrenis equi lapsu tellure iacentem.*
XI, 66 *exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.*
XII, 334 *gemit ultima pulsu — Thraeca pedum.*

---

1) cf. V, 763 '*placidi straverunt aequora venti*' atque recte Wagnerus contra Heynium: 'ventis placidum mare idem quod ventis placatum, stratum'.

G. IV, 87 *hi motus animorum atque haec certamina tanta*
pulveris exigui iactu compressa quiescent.
49 *aut ubi concava pulsu — saxa sonant.*

Iam videamus quomodo usus sit poetarum veterum. Atque purum ablativum liberius usurpatum bis inveni:

Enn. ann. 492 *moribus antiquis res stat Romana virisque.*
tragg. 93 *quo iudicio Lacedaemonia mulier adveniet.*

et ad animi motum significandum:

Acc. 409 *pavore deserunt pecuda.*
inc. sed. fr. 67 *ignominiae dolore victor insolens se victum non potuit pati.*

contra: Enn. ann. 524 *permaceat paries percussus trifaci.* cf. Vergilii *labat ariete crebro ianua.* tragg. 442 *ferro foedati iacent.* cf. Verg. *telo iacet Hector.* Pac. 302 *triplici pertimefactus timore vagat errans.*

Rarissime etiam apud Lucretium ablativum liberiorem inveni:

III, 79 *saepe usque adeo mortis formidine vitae*
percipit humanos odium . . .
118 *nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis*
esse neque harmonia corpus sentire solere . . .
IV, 1015 *gemitusque doloribus edunt.*
V, 1347 *sed facere id non tam vivendi spe voluerunt.*
VI, 1200 *ulceribus taetris et nigra proluvie alvi*
posterius tamen hunc tabes letumque manebat.

Contra participium perfecti, quod Vergilius tam acriter vitat, apud Lucretium usitatissimum est:

I, 492 *tum labefactatus rigor auri solvitur aestu*
tum glacies aeris flamma devicta liquescit.
856 *quae manifesta videmus*
ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
II, 136 *ictibus illorum caecis impulsa cientur.*
272 *impulsi procedimus ictu.*
III, 188 *momine uti parvo possint impulsa moveri.*

V, 251 *principio pars terrai nonnulla perusta*
solibus adsiduis multa pulsata pedum vi
pulveris exhalat nebulam.

VI, 428 . *freta circum*
fervescunt graviter spirantibus incita flabris.

cf. insuper I, 1033. II, 44. 965. III, 305. 893. 964. 504. 834. IV, 107. 519. 638. 1023. 1114. V, 114. 372. 410. 607. 705. 798. 1103. VI, 544. 822. Atque saepius occurrunt participia:

ictus III, 430 *a tenui causa magis icta movetur*
VI, 514. 1102.

percitus II, 129 *multa videbis enim plagis ibi percita caecis*
commutare viam.
II, 715. 1055. III, 33. V, 188. 399. 423.

concitus V, 189 *ponderibusque suis consuerunt concita ferri.*
II, 239. IV, 181. V, 424.

coactus III, 68 *homines dum se falso terrore coacti*
effugisse volunt longe.

cf. Verg.: *eo terrore omnes terga vertunt.*

III, 487 *vi morbi saepe coactus*
ante oculos aliquis nostros ut fulminis ictu
concidit.

Vult Lucretius res quas narrat lectoribus quam accuratissime exponere et illustrare, atque materiam satis asperam quam tractat si respiciamus, vix eum vituperare possumus, quod identidem accurata ac prope anxia diligentia participium vel ita ponit, ut nihil novi afferre sed verbum finitum tantum repetere videatur:

VI, 178 *ut omnia motu — percalefacta vides ardescere.*
583 *incita cum vis — exagitata foras erumpitur.*
121 *tonitru concussa videntur*
omnia saepe gravi tremere et divolsa repente
maxima dissiluisse capacis moenia mundi.

III, 501 (vis) . . . *divisa seorsum*
disiectatur eodem illo distracta veneno.

Ablativum ab adiectivo pendentem ita ut Vergilius usurpat,

apud Lucretium et Catullum non inveni; modo leguntur adiectiva fessus C. 31, 9. L. I, 257. III, 774; defessus C. 50, 4. L. II, 1174. V, 827. 1125; lassus L. VI, 1248; debilis V, 832, quae omnia nihil valent; apud tragicos pauca exempla exstant: Pac. 54 *civitas studio obstupida.* inc. sed. fr. 71 *occulta silvestribus saepibus densa.* Acc. 340 *indignus clade et squalitudine.* contra legimus: Acc. 375 *Atratus taetra veste et vastitudine tam deformatus.* 606 *volnere taetro deformatum.* (cf. Verg. '*informis*', *volnere truncae nares*'). Pac. 38 *canis quando est percussa lapide.* (cf. Verg. *anguis saxo lacer*).

Substantivorum verbalium ablativos in 'u' exeuntes iam Lucretius multos praebet:

I, 99 *ut . . . hostia concideret mactatu maesta parentis.*
476 *nec clam durateus Troianis Pergama partu*
inflammasset equus nocturno Graiugenarum.
III, 845 *comptu coniugioque*
corporis atque animae consistimus uniter apti.
VI, 778 *multa meant inimica per auris, multa per ipsas*
insinuant naris infesta atque aspera adactu.

cf. insuper I, 318. 575. 689. II, 85. 407. 742. 808. 1152. III, 557. IV, 106. 267. V, 842.

Ablativum, quem dicimus materiae, Vergilius praepositione liberum ponit, ubi a verbo pendet I, 449. II, 186. III, 467. V, 259. 267. 589[1]). VI, 591. 895. VII, 634. 790. VIII, 402. 624. IX, 263. 357. X, 784. XI, 326. G. I, 262. 266. IV, 33. 34. 170. Ec. I, 68. II, 36. 72. VI, 33. Praepositio modo invenitur:

G. III, 26 *in foribus pugnam ex auro solidoque elephanto*
Gangaridum faciam.

Ec. VII, 31 *levide marmore tota — puniceα stabis.*

Additur deinde praepositio, si hic ablativus a substantivo pendet et adiectivo caret:

---

1) proprium eximere velim hunc locum: *ut quondam Creta fertur Labyrinthus in alta parietibus textum caecis iter ancipitemque mille viis habuisse dolum.*

IV, 138 *cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum.*
V, 266 *tertia dona facit geminos ex aere lebetas.*
VIIII, 621 *loricam ex aere rigentem.*
G. III, 13 *viridi in campo templum de marmore ponam.*
XI, 10 *clipeumque ex aere sinistrae — subligat.*

si adiectivo iunctus est ablativus, exceptis duobus locis VI, 69 et XI, 850 praepositio deest:

I, 167 *vivo sedilia saxo.*
III, 286 *vivo praetervehor ostia saxo.*
304 *aere cavo clipeum — postibus adversis figo.*
688 *Hectoreum ad tumulum, viridi quem caespite inanem et geminas causam lacrimis sacraverat aras.*
VI, 552 *solidoque adamante columnae.*
G. II, 241 *spisso vimine quallos.*
III, 29 *navali surgentis aere columnas*[1]).

atque dicit poeta etiam

I, 166 *scopulis pendentibus antrum*

id est 'antrum scop. pend. factum. Lucretius tali structura uti non ausus scripsit:

VI, 195 *tum poteris magnas moles cognoscere eorum*
speluncasque v e l u t *s a x i s p e n d e n t i b u s s t r u c t a s*
cernere.

addit participium et 'velut', ut metaphoram excuset. Apud tragicos quoque invenimus inc. sed. fr. 74:

per speluncas s a x i s s t r u c t a s *asperis pendentibus.*

Ut vero ablativum materiae Vergilius substantivo iungit, ita etiam ablativum originis modo a substantivo pendentem facit:

XI, 666 *quem telo primum quem postremum aspera virgo*
deicit?
Euneum Clytio primum patre, cuius apertum
adversi longa transverberat abiete pectus.

---

1) cf. apud Lucretium I, 118 *perenni fronde corona,* II, 767 *cani candenti marmore fluctus.*

= Euneum Clytio patre natum; cf. Enn. ann. 183:

navus repertus homo Graio patre Graius homo rex.

Tales ablativos '*Clausus Curibus*' X, 345, '*mariti Tyro*' IV, 36, similiterque '*Maeonia generose domo*' X, 141 etiam apud Caesarem occurrunt; cf. bell. civ. I, 24. III, 71: *C. Fleginatem Placentia, A. Granium Puteolis, M. Sacrativirum Capua.* Apud Ciceronem quidem frustra eos quaeres.

Comparativum sequitur apud Vergilium semper pro particula 'quam' nominativo vel accusativo iuncta ablativus comparationis, atque satis constat, hanc structuram in omnibus linguis genuinam et primariam fuisse. Quam alte animo Vergilii inhaeserit, ex versibus Ec. VII, 37—85 elucet, in quibus octies eam invenimus. Lucretius saepius 'quam' post comparativum usurpat: II, 162. III, 42. IV, 181. 910. 849. 850. V, 633.

Iam restat, ut de ablativo separationis qui dicitur pauca disseram. Nusquam Vergilius praepositionem addit verbis: pellere, repellere, excedere, desistere, absistere, detrudere, excutere, avellere, egredi, expirare, dimovere, exciere, deducere, educere, disiungere, effodere, effundere, efflare, evomere, movere, emittere, solvere. Atque in nonnullis verbis vim separationis, quae paene non iam sentitur, de industria retinet, cuius rei elegantissimum exemplum mihi videtur versus:

I, 679 *dona ferens pelago et flammis restantia Troiae.*

ac similiter:

II, 115 *adytis haec tristia verba reportat.*

Vix quidquam proficeremus, si omnes proferre vellem locos, quibus verba separandi puro ablativo iuncta sunt — sunt paene trecenti — neque eos adscribere in animo est, quibus praepositiones inveniuntur, eoque magis hac opera possum supersedere, quia onomasticon Vergilianum proximo tempore proditurum esse nobis promissum est; hoc autem monere velim, primum praepositionem multo rarius legi quam purum ablativum — octogies fere — tum longe plurimis locis eam non supervacuam esse sed ad sensum necessariam, imprimis

cum alia sit atque ea qua verbum finitum sit compositum. Praepositio 'a' autem fere semper propriam vim 'in der Richtung von' sive 'von her' prae se fert. cf. quaeso: I, 448 *aerea cui gradibus surgebant limina.* II, 801 *iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae.* III, 513 *haut segnis strato surgit Palinurus.* X, 110 *solio tum Iupiter aureo — surgit.* et: III, 130 *prosequitur surgens a puppi ventus euntis.* VII, 770 *tum pater omnipotens aliquem indignatus ab umbris mortalem infernis ad lumina surgere vitae.* X, 28 *atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis Tydides.* vel: I, 288 *Iulius a magno demissum nomen Iulo.* III, 35 *proles demissaeque ab Iove gentis.* et: *demittere imbrem caelo* G. I, 23, *cruorem iugulis* G. IV, 542, *uvam ramis* 558 etc.

Nunc vero in ea verba paullo accuratius inquiramus, quorum structura dubia videri potest, quia casum quem regunt dignoscere nequimus utrum dativus an ablativus sit.

deripere semper ablativo iunctum videtur; nam cum ex III, 266 *litore funem deripere* et X, 475 *vagina deripere ensem* casus forma satis appareat, vix dubium est, quin etiam:

I, 211 *tergora deripiunt costis.*
G. II, 242 *colaque prelorum fumosis deripe tectis.*
IV, 593 *deripientque rates alii navalibus.*
XI, 193 *hic alii spolia occisis derepta Latinis coniciunt igni*

ablativus non dativus legatur.

eripere dativo personae iungi intellegitur e versibus II, 736 *mihi numen mentem eripuit,* 738 *mi erepta Creusa;* itaque dativus statuendus etiam VI, 388 *thalamum Teucris eripere,* XII, 31 *promissam genero eripere.* Ablativum rei inveniri par est, si verbum significat, rapere aliquid vel aliquem ex aliqua re; legimus: *vagina eripere ensem vel ferrum* (VII, 260. X, 896) atque eundem sensum vindicare possumus versibus:

I, 647 *munera — Iliacis erepta ruinis.*
II, 289 *heu fuge nate dea teque his, ait, eripe flammis.*
764 *gaza — incensis erepta adytis.*

III, 476 *bis Pergameis erepte ruinis.*
711 *heu tantis nequiquam erepte periclis.*

duobus locis etiam de dativo cogitari potest, quia sensus est: demere alicui aliquid: VII, 185 *ereptaque rostra carinis,* XI, 679 *pellis erepta iuvenco.*

depromere ablativo iungitur XI, 590. 859: *depromere sagittam pharetra;* atque ablativum suspicor quoque apud haec verba:

amovere VI, 523 *egregia interea coniunx arma omnia tectis amovet.*

depellere IX, 78 *tantos ratibus quis depulit ignes,* 109 *Turni iniuria matrem admonuit ratibus sacris depellere taedas.* (cf. G. III, 187 *depulsus ab ubere matris*).

elabi I, 242 *mediis elapsus Achivis.* (cf. II, 526 *elapsus de caede Polites*).

excidere I, 428 *columnas — rupibus excidunt.* potes etiam dativum accipere, si confers verbum excudere v. 174 *silici scintillam excudit Achates*[1]).

Saepissime autem ablativus separationis per se stat, non a verbo separandi rectus:

G. I, 96 *neque illum*
flava Ceres alto nequiquam spectat Olympo.
III, 39 *gemitus lacrimabilis imo — auditur tumulo.*
614 *tum patria ex Ithaca . . . Troiam genitore Adamasto*
paupere — mansissetque utinam fortuna — profectus.
VI, 182 *advolvont ingentis montibus ornos.*
X, 205 *hinc quoque quingentos in se Mezentius armat*
quos patre Benaco velatus harundine glauca
Mincius ducebat.
566 *Aegaeon qualis centum quoi bracchia dicunt*
centenasque manus quinquaginta oribus ignem
pectoribusque arsisse.
G. III, 256 *fricat arbore costas.*

---

1) cf. quae Weidnerus ad hunc locum adnotat.

Ec. VIII, 54 *pinguia corticibus sudent electra myricae.*

Huc deinde referenda sunt verba eundi: III, 72. 300 *provehimur portu, progredior portu,* ubi motus a portu significatur. IV, 130 *it portis delecta iuventus,* VI, 191 *columbae — caelo venere,* VII, 218 *extremo veniens Sol . . . Olympo,* X, 544 *veniens Marsorum montibus Umbro,* 655 *Clusinis advectus Osinius oris,* G. III, 507 *it naribus ater — sanguis.*

atque verba edendi et bibendi: III, 224 *dapibusque epulamur opimis,* VII, 749 et IX, 613 *vivere rapto,* G. II, 506 *ut gemma bibat et Serrano dormiat ostro,* 537 *caesis gens est epulata iuvencis,* III, 231 *frondibus hirsutis et carice pastus acuta,* 528 *frondibus et victu pascuntur simplicis herbae.* itemque Ec. V, 77. IX, 31; Aen. X, 709. Porro cf. verba:

rapere X, 774 *voveo praedonis corpore raptis*
indutum spoliis ipsum te Lause tropaeum.
V, 660 *rapiuntque focis penetralibus ignem.*
VII, 638 *hic galeam tectis trepidus rapit.*
agere IX, 18 *quis te mihi nubibus actam*
detulit in terras.
X, 38 *quid repetam — actam nubibus Irim.*
G. III, 203 *spumas aget ore cruentas.*
fundere VII, 792 *amnem fundens pater Inachus urna.*
XII, 121 *plenis — agmina se fundunt portis.*
vomere X, 349 *crassum vomit ore cruorem* = G. III, 516.
ruere G. IV, 185 *mane ruunt portis.*
mittere X, 633 *caelo te protinus alto — misit.*
labi XII, 364 *equi lapsum cervice Thymoeten.*
spuere G. IV, 97 *sicco terram spuit ore viator.*
salire X, 594 *ipse rotis saliens iuga deseris.*
volvi X, 403 *curruque volutus.*
manare G. I, 485 *puteis manare cruor cessavit.*
spirare VII, 281 *spirantes naribus ignem.*

Priores poetae perpauca huiusmodi exempla praebent:

tragg. inc. sed. fr. 73 *advenio Acherunte.*
Cat. 64, 298 *pater advenit caelo.*

Lucr. I, 529 *umor manat uberibus distentis.*
V, 29 *spirantes naribus ignem.*
VI, 1141 *veniens Aegypti finibus morbus.*
1203 *sanguis expletis naribus ibut.*

Localis.

De localis usu vario iam Kernius pagg. 6—26 ita disputavit, ut iterum rem tractare supervacuum arbitrer[1]. Id modo addere velim, saepius nobis hunc casum occurrere, ubi dativo uti solemus; primum apud verba praepositionibus 'in' et 'sub' iuncta, ex quibus Kernius attulit: inhaerere X, 845 *corpore*, immergere VI, 174 *unda*, ita ut III, 605 *spargite me in fluctus vastoque immergite ponto* et G. IV, 29 *si forte morantis — sparserit aut praeceps Neptuno immerserit eurus* locales accipiendi sint; infigere IV, 4 *pectore*, V, 504 *arbore*; ergo localis etiam I, 45 *illum — corripuit scopuloque infixit acuto.* addo: involvere VI, 336 *aqua involvens navemque virosque;* includere VI, 679 *penitus convalle virenti inclusas animas lustrabat*, ergo localis statuendus videtur II, 258 *inclusos utero Danaos*, X, 135 *inclusum buxo aut Oricia Terebintho — lucet ebur.* Porro non dubito, quin eadem structura utantur: insidere VIII, 480 *iugis*, XI, 531 *silvis;* innare VIII, 93 *fluvio;* ingredi

1) non mihi probavit explicationem suam G. III, 343; hoc loco '*campi*' nihil aliud esse potest nisi 'in campo'. Tum erravit in diiudicanda structura verbi 'pendere', quod si puro casu iunctum sit, hunc casum semper esse localem cogitandum contendit (p. 11). Attamen discernendum est 'pendere ab aliquo loco' (III, 53 *a mento palearia pendent*) et pendere aliquo loco' (I, 106 *hi summo in fluctu pendent*); itaque etiam eis locis, quibus praepositio deest, semper quaerendum, utrum localis an ablativus rei aptior sit, neque autem omnes eodem modo sunt explicandi; exempli causa certe ablativum cogitare debemus VII, 67 '*pedibus per mutua nexis examen subitum ramo frondente pependit*' (sc. apium) et XII, 374 '*dum trahitur* (sc. curru) *pendetque iugis*'.

IV, 177 et X, 767 *solo*, X, 763 *campo;* incubare IV, 82 *stratis*, VII, 88 *pellibus;* infusus VIII, 406 *gremio.* Regit vel verbum aptare localem IX, 305: *ensem vagina aptarat eburna.*

Deinde vide tales locos: XII, 911 *non corpore notae — sufficiunt vires*, 914 *tum pectore sensus — vertuntur varii.* Iamque eodem modo explicare debes: IX, 66 *duris dolor ossibus ardet*, 741 *incipe siqua animo virtus*, XII, 102 *oculis micat acribus ignis.*

Sociativus.

De sociativo disputaturus primum tractabo locos, quibus hic casus a verbo pendet, tum eos quibus substantivo iunctus est. Ita autem rem instituam, ut priorum poetarum versus qui huc faciunt Vergiliano usui praemittam.

Atque ita ut exprimat aliam cum alia re una esse, invenitur sociativus, si de exercituum comitatu, de armis, vestitu, corporis partibus agitur; exempla apud veteres inveni haec:

Enn. ann. 499 *incedit veles vulgo sicilibus latis.*
Acc. 55 *ferro prompto adstiterat.*
155 *ansatis concurrunt undique telis.*

his adicienda sunt compluria verba copiae, quae fere non huc referuntur:

Acc. 244 *Chithaeron frondet viridantibus fetis.*
631 *aere atque ferro fervere, insignibus florere.*
Pr. P. *sagittis, plumbo et saxis grandinat, nivit.*
Lucr. V, 1442 *iam mare velivolis florebat puppibus.*

Hoc modo etiam Vergilius casum usurpavit; sociativi quos attulit Kernius pag. 33 modo ad armaturam pertinent; vide, qui corporis partes significant:

II, 219 *bis collo squamea circum*
terga dati superant capite et cervicibus altis
VII, 784 et XI, 683 *toto vertice supra est.*
IX, 530 *turris erat vasto suspectu et pontibus altis.*

Iam vero accedunt — id quod Kernius omisit — multi illi qui videntur ablativi absoluti, sunt tamen sociativi; nam sicut explicamus I, 480. II, 483. III, 263 '*crinibus passis*' et '*palmis passis*' = 'cum passis crinibus' ita exempli causa:

II, 518 *ipsum autem sumptis Priamum iuvenilibus armis*
ut vidit

illum inter '*Priamum*' et '*sumptis armis*' nexum minime assequimur nec latinis verbis satisfacimus, si interpretamur: 'ut vidit Priamum postquam arma sumpsit vel qui arma sumpserat' sed 'arma sumpta tenentem', 'cum armis sumptis'. Eodem modo explana versus:

II, 449 *alii strictis mucronibus imas — obsedere fores.*
479 *ipse inter primos correpta dura bipenni*
limina perrumpit.
VII, 509 *vocat agmina Tyrrhus*
quadrifidam quercum cunis ut forte coactis
scindebat, rapta spirans immane securi.
520 *raptis concurrunt undique telis.*
XII, 288 *strictis ensibus adsunt.*

deinde:

X, 654 *forte ratis celsi coniuncta crepidine saxi*
expositis stabat scalis ponteque parato.

= cum scalis expositis. Multo audacius dicta sed similiter explicanda mihi videntur haec:

II, 804 *sublato montes genitore petivi*

= patrem quem sustuleram umeris portans; et:

VII, 361 *nec matris miseret quam primo aquilone relinquet*
perfidus alta petens abducta virgine praedo [1]).

= virginem raptam secum ducens. Nescio an idem senserit Forbiger qui adnotat: 'Putat igitur Amata, Aeneam cum virgine rapta eo, unde venerit, mox rediturum esse'.

Sociativus verbis copiae, quae nominavi, adnexus apud

1) non ita Horatius od. I, 15: *Pastor cum traheret per freta navibus Idaeis Helenen perfidus hospitam.*

Vergilium haud raro invenitur: I, 402 *rosea cervice refulsit.* II, 616 *iam summas arces Tritonia — respice — Pallas insedit limbo effulgens et Gorgone saeva.* VI, 144 *simili frondescit virga metallo.* VIII, 553 *pellis obit totum praefulgens unguibus aureis.* 660 *virgatis lucent sagulis.* X, 171 *aurato fulgebat Apolline puppis.* XII, 167 *sidereo flagrans clipeo et caelestibus armis.* Ec. VIII, 52 *narcisso floreat alnus.* itemque explicandum videtur:

IX, 333 *truncumque reliquit — sanguine singultantem.*

Exceptis vero versibus II, 804 et VII, 361 Vergilius his locis nihil nisi priores poetas sequitur, modo multo saepius sociativum usurpat; excedit tamen hunc usum non raro; legimus apud Ennium tragg. 51:

caeruleo incinctae angui incedunt circumstant cum ardentibus taedis

apud Vergilium:

IV, 384 *sequar atris ignibus absens*

= facem tenens, cum face [1];

atque iam Kernius attulit:

VII, 284 *talibus Aeneadae donis dictisque Latini . . . redeunt.*

X, 269 *totum adlabi classibus aequor.*

Dubito num idem rectum viderit in diiudicandis versibus XII, 686 *annis sublapsa vetustas;* V, 821 et VIII, 89 *sternitur aequor aquis* et *sternere aequor aquis*; X, 102 *tremefacta tellus solo;* nam rectius primo loco dativus, aliis localis interpretandi videntur; falsa autem est explicatio versus G. III, 206; nam '*tardis iuvencis*' hic certe est dativus, quem dicimus commodi.

Ad extremum huc refero sociativos 'vento' et 'ventis', qui apud Vergilium eodem modo usurpati sunt atque in oratione pedestri 'secundo vento':

1) cf. VIII, 703 *et scissa gaudens vadit Discordia palla, quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.*

I, 307 *exire locosque*
explorare novos, quas vento accesserit oras [1]).
IV, 46 *dis equidem auspicibus reor et Iunone secunda*
hunc cursum Iliacas vento tenuisse carinas.
I, 524 *Troes te miseri ventis maria omnia vecti*
oramus [2]).
IV, 381 *i sequere Italiam ventis*
ac similiter:
V, 2 *interea medium Aeneas iam classe tenebat*
certus iter, fluctusque atros aquilone secabat.

Iam de modali multa recte vidit Kernius; addo primum, casus illos 'clamore, gemitu, plausu = cum clamore etc' (cf. I, 324. 519. VIII, 216. XII, 252. IV, 303. IX, 597. XII, 257. II, 323. 413. III, 664. XII, 928. I, 747) apud priores poetas sine praepositione vel adiectivo non inveniri; deinde alii eiusmodi casus, a Kernio neglecti, sunt:

studio = cum studio, studiose (ut Serv. ad VI, 681)
VI, 681 *animas — lustrabat studio recolens.*
V, 450 *consurgunt studiis Teucri et Trinacria pubes.*
ad hunc locum Servius adnotat: 'in studia'; Heynius: 'malim esse 'pro studio' id est 'prae studio', assentior, si voluit 'quo quisque studio in rem animadverterat'.

animis = animatus:
IX, 18 *arma parate animis et spe praesumite bellum* [3]).
491 *exsultatque animis et spe iam praecipit hostem.*
438 *ibo animis contra* [4]).

---

1) Heynius qui dicit: 'explorat loca nova et explorat ad quas oras accesserit, venti vi seu tempestate appulsus' de ablativo cogitat; sed II, 25 adnotat: 'vento = vento secundo', ubi invenitur '*vento petiere Mycenas*'; hoc loco instrumentalem accipio, cf. III, 563 *laevam cuncta cohors remis ventisque petivit.*

2) iam apud Ennium ann. 380: *cum procul aspiciunt hostes accedere ventis.*

3) cf. Enn. ann. 504 *vincla suis magnis animis abrupit* = quo erat animo.

4) cf. Att. 308 *nunc cum animatus iero.*

XII, 371 *non tulit instantem Phegeus animisque frementem.* De 'hospitio' (I, 299. III, 83. IX, 361) iam Kernius recte iudicavit, neque minus de casibus 'rivis' (V, 200 *sudor fluit undique rivis;* VIII, 445 *fluit aes rivis aurique metallum*) cumulo (I, 105 *insequitur cumulo praeruptus aquae mons;* II, 498 *amnis — fertur in arva furens cumulo*) aliis (pag. 36). Adicienda sunt:

III, 134 *arcem attollere tectis.*
VI, 657 *conspicit . . .*
vescentis laetumque choro paeana canentis.
VII, 581 *attonitae Baccho nemora avia matres*
insultant thiasis.

Deinde quos attulit Kernius pag. 36 casus, absolutos paene nominaverim, quia prorsus participii locum explent: II, 225 *at gemini lapsu delubra ad summa dracones effugiunt;* III, 225 *at subito horrifico lapsu de montibus adsunt harpyiae;* II, 565 *corpora saltu — ad terram misere;* X, 269 *brevibus se credere saltu;* VII, 464 *exsultant aestu latices;* XII, 668 *obtutu tacito stetit;* saepissime ita invenitur cursu II, 321 *cursuque amens ad litora tendit;* 736 *namque avia cursu — dum sequor;* et fuga IV, 72 *illa fuga silvas saltusque peragrat;* 281 *ardet abire fuga dulcisque relinquere terras;* V, 218 *sic ipsa fuga secat ultima Pristis aequora.*

Adicienda autem mihi videntur:
leto IX, 433 *volvitur Euryalus leto.*
X, 418 *ut senior leto canentia lumina solvit.*
somno Ec. VI, 14 *Chromis et Mnasyllos in antro*
Silenum pueri somno videre iacentem.
G. IV, 404 *facile ut somno adgrediare iacentem.*
atque gerundiis nando (V, 594) et volando (VI, 199) quae recte Kernius huc rettulit addenda sunt:

II, 6 *quis talia fando*
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
temperet a lacrimis?

VI, 660 = VII, 182 *ob patriam pugnando volnera passi.*
III, 670 *nec potis Ionios fluctus aequare sequendo*[1]).

Iam transeundum ad sociativum substantivo iunctum, atque agendum nobis imprimis de casu qui dicitur qualitatis. Duo autem sunt eius genera: aut, id quod simplex est, iam substantivo qualitas alicuius rei exprimitur, ut: 'homo magno ingenio, eximia comitate', aut demum et adiectivo et substantivo efficitur, ut: 'femina pulchra veste, nigris crinibus'. Hic casus usurpatur ut antea, si de vestitu, corporis partibus, armis agitur:

Enn. ann. 304 *additur Cornelius orator suaviloquenti ore.*
tragg. 183 *Erebo creata fuscis crinibus nox te invoco.*
Pac. 2 *quadrupes capite brevi, cervice anguina.*
Acc. 86 *quaenam haec mulier est funesta veste, tonsu lugubri.*
Cat. 28, 2 *Pisonis comites cohors inanis*
aptis sarcinulis et expeditis.
41, 3 *ista turpiculo puella naso.*
43, 1 *salve nec minimo puella naso*
nec bello pede nec nigris ocellis
nec longis digitis nec ore sicco
nec sane nimis elegante lingua.

dicitur etiam:

Enn. ann. 564 *mare saxifragis undis.*
Cat. 64, 256 *harum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos.*

Saepius autem hic casus aut praepositione 'cum' iungitur: Naev. 58 *cum tuis sagittis arquitenens pollens dea*; Enn. tragg. 95 *quid te cum tuo lacerato corpore*; 373 *hoc cum vestitu*; ann. 218 *vertitur interea caelum cum ardentibus signis*; Lucr. I, 774 *exa-*

---

1) Apud priores poetas hic casus gerundii plurimis locis vim causalem retinet; cf. Enn. ann. 313. Cat. II, 18. LV, 32. Lucr. I, 312. 398. 400. 433. 902. 1005. 1026, saepius; sed legimus quoque sicut apud Vergilium: VI, 451 *nubila concrescunt, ubi corpora multa volando hoc supero in caeli spatio coiere repente asperiora*; invenitur etiam praepositio 'in': III, 491 *in iactando membra fatigat*, 706 *tamen in manando dissoluuntur.*

nimo cum corpore ut arbos; II, 367 *teneri tremulis cum vocibus haedi;* aut circumscribitur apud antiquos haud raro adiectivis qualia posteri fingere non iam audebant: tardigradus Pac. 2; cornifrons 349; repandirostrus 408; incurvicervicus 408[1]). Aut inveniuntur participia: Enn. ann. 12 *genus pinnis decoratum;* tragg. 133 *lugubri succinctus stola;* 139 *scrupeo investita saxo;* 312 *saeptus mendici stola;* Acc. 517 *eius serpentis squamae auro et purpura praetextae;* atque imprimis Lucretius hac utitur structura (cf. supra pag. 36):

II, 42 *si non forte tuas legiones per loca campi*
fervere cum videas belli simulacra cientis
subsidiis magnisque elephantis constabilitas
ornatas armis.

V, 27 *quid Cretae taurus Lernaeaque pestis*
hydra venenatis posset vallata colubris.

838 *multaque tum tellus etiam portenta creare*
conata est mira facie membrisque coorta.

927 *et genus humanum . . .*
. . . maioribus et solidis magis ossibus intus
fundatum validis aptum per viscera nervis.

1428 *at nos nil laedit veste carere*
purpurea atque auro signisque ingentibus apta.

VI, 656 *siquis in artus*
accepit calido febrim fervore coortam.

frequentissimum est participium praeditus:

I, 917 *si fieri non posse putas, quin materiai*
corpora consimili natura praedita fingas.

II, 608 *quo nunc insigni per magnas praedita terras*
horrifice fertur divinae matris imago.

cf. I, 581. 848. II, 336. 723. 758. 814. 895. 972. III, 332. IV, 88. 100. 196. 336. V, 144. 199. VI, 219. 739. 960. 982.

Vergilianus autem usus idem est atque quem iam antea in puro ablativo statui: fere semper sociativus sine praepo-

---

1) redit demum apud Quintilianum I, 5, 67. 70.

sitione vel participio invenitur, neque exiguus est numerus exemplorum[1]); iterum vero initium capiam ab usu simplici, quem etiam priores praebent poetae, ab armatura, vestitu, corporis partibus:

I, 490 *ducit Amazonidum lunatis agmina peltis*
Penthesilea.
III, 426 *pulchro pectore virgo.*
VII, 789 *at levem clipeum sublatis cornibus Io*
auro insignibat.
VIII, 685 *hinc ope barbarica variisque Antonius armis*
. . . ultima secum — Bactra vehit.
IX, 49 *maculis quem Thracius albis — portat equos.*
XII, 281 *pictis Arcades armis.*
G. III, 368 *greges villis lege mollibus albos.*
IV, 82 *ipsi per medias acies insignibus alis*
ingentis animos angusto in pectore versant.
408 *fulva cervice leaena.*
Ec. II, 41 *capreoli sparsis etiam nunc pellibus albo.*

Deinde legimus:

I, 313 et XII, 165 *bina manu lato crispans hastilia ferro*[2]) = cum lato ferro.

---

1) nulla paene eiusmodi apud Horatium; is quoque circumscribit: I, 6, 13 *quis Martem tunica tectum adamantina digne scripserit,* 12, 23 *nec te metuende certa Phoebe sagitta,* II, 19, 8 *parce gravi metuende thyrso,* I, 35, 21 *te spes et albo rara fides colit velata panno,* II, 5, 18 *non Chloris albo sic umero nitens,* III, 4, 25 *visam pharetratos Gelonos,* 13, 2 *o fons Bandusiae non sine floribus.* In deliciis habet adiectiva insignis et decorus: I, 21, 11 *insignemque pharetra fraternaque humerum lyra,* 33, 5 *insignem tenui fronte Lycorida Cyri torret amor,* I, 32, 11 *Lycus nigris oculis nigroque crine decorus,* II, 16, 6 *Medi pharetra decori,* 19, 29 *te vidit insons Cerberus aureo cornu decorum,* III, 14, 8 *decorae supplice vitta virginum matres,* ep. II, 17 *decorum mitibus pomis caput.* Unum vero praebet exemplum sociativi, quod sane notabile est: III, 5, 5 *Milesne Crassi coniuge barbara turpis maritus vixit?*

2) imitatus est versum Ovidius Her. IV. 82 *lato venabula cornea ferro.*

I, 469 *nec procul hinc Rhesi niveis tentoria velis*
adgnoscit lacrimans.
702 *tonsisque ferunt mantelia villis.*
IV, 131 *lato venabula ferro.*
V, 208 *acuta cuspide contos — expediunt*[1]).
VII, 747 *duris Aequicula glaebis.*
817 *Lyciam ut gerat ipse pharetram*
et pastoralem praefixa cuspide myrthum.
VIII, 351 *frondoso vertice collem — habitat deus.*
355 *haec duo praeterea disiectis oppida muris*
reliquias veterumque vides monimenta virorum.
IX, 50 *cristaque tegit galea aurea rubra.*
436 *lassove papavera collo — demisere caput.*
XII, 766 *forte sacer Fauno foliis oleaster amaris*
hic steterat.
G. II, 102 *non ego te dis et mensis accepte secundis*
transierim Rhodia et tumidis, bumaste, racemis.

Vel adiectivum Vergilius omisit:

III, 618 *domus sanie dapibusque cruentis*
intus opaca ingens[2]).

Kernius hoc loco ablativum materiae accipit, dicit pag. 38: 'vergl. im Dialect im Deutschen: der Boden war ein Blut', sed nescio quomodo dapes cruentas materiam nominare velit, potius explicandum est: 'domus cum sanie et dapibus cruentis' aeque ac:

V, 77 *hic duo rite mero libans carchesia Baccho*
fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro

= carchesia cum lacte novo. Wagnerus hoc loco sociativum recte sensit; in eclogis nondum tali structura Vergilius usus est, sed scripsit:

V, 67 *pocula bina novo spumantia lacte.*

---

1) cf. Ovid. Her, III, 119 *acutae cuspidis hasta.*

2) cf. Pac. 200: *neu reliquias quaeso meas denudatis ossibus per terram sanie delibutas foede divexarier.*

Haec quae ultima attuli exempla: 'domus sanie dapibusque cruentis, carchesia novo lacte', atque iam ex antecedentibus nonnulla, usum etiam poetarum prorsus excedunt, ita ut vix eos qualitatis casus nominare possis; rectum sensum assequeris si praepositionem 'cum' supples.

Adiectivo iunctus est hic sociativus:

I, 85 *una Eurusque Notusque ruunt creberque procellis Africus.*

II, 799 *animis opibusque parati.*

V, 187 *nec tota tamen ille prior praeeunte carina,*
parte prior, partim rostro premit aemula Pristis.

VI, 137 *aureus et foliis et lento vimine ramus.*

IX, 359 *aurea bullis cingula.*

eundemque — non causalem — nexum inter adiectivum et sociativum statuo his locis:

III, 271 *Neritos ardua saxis.*

VIII, 417 *insula — fumantibus ardua saxis.*

V, 306 *spicula bina dedit levato lucida ferro.*

565 *quem Thracius albis*
portat equos bicolor maculis[1]).

VI, 824 *saevomque securi — aspice Torquatum*

= securi saevientem.

VIII, 620 *terribilem cristis galeam.*

IX, 547 *ense levis nudo parmaque inglorius alba.*

G. I, 217 *candidus auratis aperit cum cornibus annum taurus.*

II, 139 *turiferis Panchaia pinguis arenis.*

461 *foribus domus alta superbis.*

III, 427 *notis longam maculosus grandibus alvom.*

huc refero etiam versum

III, 64 *stant manibus arae*
caeruleis maestae vittis atraque cupresso.

---

1) cf. IX, 49.

Atque hoc loco mihi nominandum videtur adiectivum insignis.

IV, 134 *ostroque insignis et auro*
stat sonipes.
V, 310 *ecum phaleris insignem victor habeto.*
VI, 808 *quis procul ille autem ramis insignis olivae.*
XI, 291 *insignes praestantibus armis.*
G. III, 7 *umeroque Pelops insignis eburno.*
56 *nec mihi displiceat maculis insignis et albo* (sc. bos).

Rationes igitur Vergilii, quas in ablativo usurpando sequitur, non raro usum antiquiorum excedere spero me tibi persuasisse, neque negabis, credo, poetam ea quae hoc loco mutaverit, maximam partem ut gravitatem quandam epici sermonis efficeret, novasse. Animadverte enim quaeso, liberiores ablativos omnes in Aeneidem non in georgica et eclogas cadere, atque etiamsi iam per se patere possit videri, Vergilium, cum aliud poeseos genus tractaret, etiam alii sermoni studuisse, tamen quemquam hanc inter Aeneidem et priora poetae opera differentiam apertis exemplis docuisse nescio.

Auctor de vita sua.

Natus ego sum Carolus Schüler a. d. III idus Martias anno 1861 Lutitiae in oppido Pomeraniae patre Henrico, ludi literarii magistro, matre Friderica e gente Heidemann. Obiit pater, candida anima, non multis post annis muneris laboribus contritus. Literarum elementis in patriae urbis schola quae tunc Brandisio rectore florebat imbutus, puer duodecim annorum in gymnasium Demminense transmigravi. Doctrina ibi vv. dd. Ebingeri et Weichelti, suavi huius illius severa, ad studia philologica incitabar atque sustento autumno anni 1878 maturitatis examine in hac alma universitate Gryphiswaldensi per octo deinceps semestria philologiae operam navavi.

Docuerunt me vv. dd. Kiessling, Susemihl, de Wilamowitz; Seeck, Ulmann; Preuner, Schuppe. Exercitationibus interesse mihi licuit metricis Wilamowitzii, platonicis et aristotelicis Susemihlii, archaeologicis Preuneri, Luetiohanni grammaticis. Kiesslingius vero et Wilamowitzius ut perpetuo me favore per omne studiorum meorum tempus prosequebantur, ita in seminarium philologicum receperunt, cuius per tria semestria fui sodalis ordinarius per unum senior. Ulmannus deinde benigne concessit, ut etiam historici seminarii exercitationum per tria semestria particeps fierem.

Omnibus his viris doctis maximas gratias agere fert animus, imprimis vero Kiesslingio et Wilamowitzio, qui summa cum benevolentia me adiuvare tironem atque confirmare nunquam desierunt.

Sententiae controversae.

1) In Hippolyto velato Hippolytus ultimae scenae non videtur interfuisse (cf. Leo observ. crit. de Sen. trag. p. 180 sqq.).

2) Phaedrae persona apud Senecam ex Phaedra primi et alterius Hippolyti conglutinata est.

3) In Antiphontis κατὰ τῆς μητρυίας oratione iterandum censeo in initio paragr. VII verbum Ἐπεξελθών atque cod. A scripturam μὲν γάρ retinendam.

4) Antiph. tetral. II, 3, 10 lege: Ὡς δὲ οὐδ' ἐξ ὧν αὐτοὶ λέγουσιν τῆς ἁμαρτίας τοῦ ἀκουσίως ἀποκτεῖναι ἀπολύεται, ἀλλὰ κοινὰ sqq. (codd.: ὡς δὲ οὐδὲ τῆς ἁμαρτίας τοῦδε τοῦ ἀκουσίως ἀποκτεῖναι ἐξ ὧν αὐτοὶ λέγουσιν ἀπολύεται).

5) Aesch. Coeph. 561 conicio:

ἥξω σὺν ἀνδρὶ τῷδ' ἐφ' ἑρκείους πύλας
Πυλάδῃ, ξένῳ τε καὶ δορυξένῳ δόμων.

(codd.: ξένος τε καὶ δορύξενος).

6) Aesch. Ag. 805 propono:

νῦν δ' οὐκ ἀπ' ἄκρας φρένος οὐδ' ἀφίλως
εὔφρων πόνον εὖ τελέσασι.

(codd.: πόνος).

7) Polyaen. strateg. III, 5 lege: Μάντευμα ἦν Κιῤῥαίοις ἀνάλωτον ἔσεσθαι τὴν πόλιν, ἕως ἂν ψαύσῃ τῆς Κιῤῥαίας γῆς ἡ θάλασσα. (codd.: τῆς ἱερᾶς γῆς).

8) Falsissime Kviçala (Neue Beiträge zur Erkl. der Aeneis, Prag 1881.) contendit alliterationem ad interpretandum vel emendandum textum Vergilii aliquid valere.

———•••———